

F R A T R I S D O M I -
N I C I S O T O S E G O B I E N -
sis Theologi ordinis Prædicato -
rum, Cæsareæ maiestati à fa -
cris confessionibus Sal -
mantini profes -
foris,

In causa pauperum deliberatio.



- Salmanticæ,
Excudebat Andreas à Portonariis.

Cum priuilegio.

AD MAXIMVM ATQVE
A DEO CLARISSIMVM, HISPANIA.
rum principem. D.Philippum,inuictissimi Cæsa-
ris Caroli. V.primogenitum, Fratris Domi-
ci Soto Segobienis, theologi, ordinis
Prædicatorum, Salmantini
professoris,

In causa pauperum deliberatio.



VLLA ME, Vnquam ratio Princeps maxime inducere potuisset, has ad magnitudinem tuam literas dare, nisi & legissem sè penumero apud multos, quanta esse debeat in principe humanitas, quantaq; cuiusvis classis hominibus audiendis mansuetudinem excelsum istud genus mortalium debeat: pariterq; ex multis audiuisset, quantam tu (quod patrium vobis gentileq; est) humanissimè præstes. Atqui, si quando alias, vel nunc maximè multorum te sententias humaniter, non auditurum modo, coniecta est, sed etiam rogaturum. Nempe de ea re, de qua cùm à cel situdine tua (quippe qui Cæsar is throno sedes) iudicatum fuerit, nihil cunctis aliud quā decretum audire, ac iussis parere integrum erit. Haud me latet, non me in iis esse, quorū authoritas yllo possit momento rem tam à multis controuersam, tamq; matura consultatione sanctam, huc illuc inuerte-re. Neq; ea ego mente negotium hoc dicēdi suscipio, vt quicquā, quod in actis sit, immutare contendam. Verum id satis duxerim, si id quod fieri, statutum est, cunctis hinc inde incòmodis diligentius exploratis, cautius, prouidentius, ex diuinoque magis nutu fiat. Qua videlicet melius ratione miseris pauperibus fuerit consultum. Id quo in hac re esse nullū potest aut Cæsareæ maiestati, tuæq; perinde amplitudini obsequium gratius, aut rei publicæ cumulatius bonum. Adeo nos pauperum habere curam Christus saluator noster, nō modò voluit, prædicauit, & admonuit: sed & summis nobis tū polli-

A 2 cit-

citationibus, tum comminationibus edixit. ¶ Sunt nonnullæ, neq; ex postremis quidem, ciuitates Cæsarei huius hy spaniarum patrimonij, vbi his retro annis quatuor ceptum est, pauperes, vagabundis expurgare, in ordinem cogere, eleemosynas certa ratione & modo, & colligere, & distribuere. Sanè vt hostiatim mendici circumire cohibeantur: vt hoc illi labore, diuites vero, eorum improbitate leuentur. Neq; eleemosynæ temere profundantur. Sed delectus pauperum fiat: quo, iis quos lex validos appellat, de medio sublatis, aliis, qui vere egent, vberiores obueniant. Quod equidem institutum esse nemo potest, qui non suo genere, merito præclarum censeat, Christianoq; pectore videat proficisci. Atq; adeo dignū æstimet, quòd pro sua quisq; virili laudet, foueat, omniq; studio complectatur. At cùm res tam sit magni momenti, aliarum quoq; sui ordinis legem subeat, necessum est. Nempe vt ea sit, de qua non facilè inter oēs conuenire possit. Operum etenim vnūquodlibet non de subiecta materia, quantumlibet in honestissima versetur, virtutis continuo nomē promeretur: quia neq; virtutis lineam statim attingit. Quin verò compluribus prius opus habet circūlestiri, quæ in vniuersum explorata vt fint, atq; prospecta, nisi multorum iudicio, fieri nequit. Atqui vsu venire sāpē solet, vt prudentes quidem viri atque etiam cōsultissimi de rudibus nostris imperitorum dubitationibus permulta, quibus cauere debeant, prospiciant. Nam audiens Prose. I. sapiens (vt in prouerbio est Salomonis) sapiētior erit. Igitur neq; tu Princeps optimè neq; aliorum quisquam verba hæc, qualiacūq; adorno, aut animo mihi cuiquam aduersandi, aut cupidini contendendi adscribat. Neq; enim vlla in re tantam mihi facultatem arrogo, neq; in hanc tali animo citra culpam prodire potuisse. Quocirca nihil est causæ, cur se mihi quisquam concertandi disputandive gratia obuiam proferat. Si quidem, vt paulò ante dicebam, non alio orationis meæ) si quos modo habitura sit) neruos intendo, quām vt illæ quæ in pauperes apparantur leges, quām fieri maximè potest, circūspetissimè ferantur. Qua ratione fiet, vt inter illos, qui in hoc negotium amplissimas eleemosynas quotidie largiuntur, pro mea ego tenuitate, cum paupercula illa euangelica, duo minuta errogauerim. Quandoquidē eleemosynæ, qua-

rum su-

Lxx. 21.

rum sumus egenis debitores, non in solo pane positæ sunt. Quinimo vt Gregorij verba referam. Habēs intellectum: cu-ret omnino ne taceat. Habens rerum affluentiam: vigilet ne à Hom. 9. misericordiæ largitare torpescat. Habens artem qua regitur: super cuā magnopere studeat, vt vsum atq; vtilitatem illius cum proxigelia. mo procuret. Habēs loquendi locum apud diuitē: damnatio-nē pro retento talēto timeat: si cum valet non apud eum pro pauperibus intercedat. Hec Gregorius. Munus ergo à lingua non infime prodesse nonnunquam potest afflictis pauperibus. Vt enim est in Ecclesiastico. Diues iniuste egit, & fremet: Eccl. 13. pauper autem lœsus tacebit. Et Isidorus (quod. II. q. 3. inter de- II. q. 3. creta relatum est) pauper (inquit) dum non habet quid offe- rat in iudicio, non solum audiri contemnitur: sed etiam cōtra veritatem opprimitur. Ob idque qui pauperē protegit, deum imitatur: qui teste illo pauperum patrono Iob, de manu vio-lenti eripit pauperem: & conteste Dauid, astitit à dextris pau- ps. 108. peris: vt saluam faciat à persequentibus animam eius. Idecirco in requæ ad Christianam religionem tanti refert, sanè qua de vita pauperum, nec sine diuitum magno periculo, decerni-tur, nemo reuera posset officium prætermittere, qui nō pro-tinus reprehensionem incurreret, qua (vt est in euangelica pa-rabola) nequā illum seruum & infidum dominus tam incre-puit acriter, quòd talentum, quod si foeneratus fuisset, vñoris potuisset augere, vt domino suo multiplicatū redderet, sub-tus terram maluit abscondere. Absit eo hæc animo dixerim, quo velim quempiam condemnare. Etenim quotquot pro-uinciam hanc, negotiūq; pauperum suscipiunt, vtranuis par-tem tueantur, zelo pietatis ac religionis ducuntur: atque adeo vtrosq; copiosa merces manet apud deum. Sed huc penitus mea tendit oratio, quòd pro suo quisque ingenio iudicioq;, rationes in medium de hac re proferre debet, quibus vtrinq; discussa, exæstius definiatur. Quod autem in animum indu-xerim ad amplitudinem tuam orationem dirigere, nullum in absentia Cæsar is legitimū alium iudicem, apud quē cau-sam pauperum orarem, diligere, aut potui, aut certè debui: Cùm quòd deus ipse, per quem reges regnant, & legum con-ditores iusta decernunt, sāpē & multum iudicem, se patronū, ac partem pauperū, honoris gratia, nominat. Vnde Synodus Prose. 9.

cartaginensis quinta admonitos esse voluit prælatos, vt ab imperatoribus gloriofissimis pauperū patrocinium postularent. Tū etiam q̄ causa hēc & ad Cæsarē & ad curiam iam diu delata est. Scriptā duxi non latine solum (quo tamē sermone latius ac pressius rē explicui) verum & hispane. Primū quod (vt alias me claritudini tuę dixisse memini, quando scholas nostras hoc honore dignatus es, vt lectionibus nostris interesse volueris) quanuis vtrūq; id yoma plene capias, ad principes tamen non nisi patrio eorū sermone vti, fas est. Præterea quod cum causa hēc, de qua dicturus prodeo, popularis sit: vt poterū cognitio ad plebem etiam pertinet, operē premium fuit, illa lingua proferri, quam vulgus etiam perciperet.

Quo narratio continetur.

Cap. 2.

PRIMUM, quòd huic fabricæ subiectū est saxum, petitio illa fuit quadragesima sexta in conuentu regni, qui Valeoti celebriter factus est anno ab orbe redempto. 523. supra millesimum. Qua pauperes apud Cæsarem delati sunt, quòd fines patios egressi regnum mendicantes peragrarent: idque non sine dānis (vt causabatur) quæ res publica eiusmodi gentis vagatione per multa recipit. Ob idq; ius à Cæsare imploratum est, quo mēdici suo quisq; solo cōtinerentur: neq; permittentur circūuagari. Id veruntamē, quanuis vt de illo prouideretur responsum fuerit, nō fuit tūc edicto publico cautū. Qua de re in conuētu itidem celebri apud Matritum anno 28. petitione. 45. de eadem rursus egenorum vagatione conuestū est. Neq; aliud inde, quām prius, respōsum procuratores reportarunt. Deinde in conuentu, qui anno. 34. eodem cōuocatus est, petitione. 117. alia sub alio tenore producitur supplicatio. Videlicet quod singulis regni ciuitatibus prouidus aliquis ac circunspectus vir negotio pauperum delegaretur, sine cuius testimonio & Chirographo nemini licitum esset hostiatim mendicare, vt hac ratione legitimi pauperes compertient. Huic, veluti iustæ supplicationi, subscriptis Cæsar, vt vagabundi (quos lex validos appellat) oppidis abigerentur, aduenæ, qui prætextu paupertatis falso titulo mendicant, pellerentur à curia. Quibus adiecit, vt legitimi pauperes suis

suis cuiusq; dioecesis procurarentur & alerentur. Nulla illic tamen poena in legitimos pauperes decreta est, quocunque regni mendicatum commigrauerint. Postea demum (quod ad rem denuo proprius attinet) anno. 40. curia, quæ est Cæsari à consilio, ea quæ præfatis petitionibus continentur, vt obseruarentur, senatus consulto mandauit. Atque adeo post confiliariorum subscriptiones instructio quædam appenditur, sola tabellionis manu signata. Qua executionis forma articulatim præscribitur. Summa eorum, quæ ad rem pertinent, sex continet articulos. Cauetur enim primum o-
mnium, vt nemini prius mendicare liceat, quām eius pau-
cūli.
pertas legitimo examine constiterit. Secundò, neciquā men-
dico, etiam legitimo, nisi in propria patria intra certos ter-
minos, sit integrum mendicare. Excepto inde tempore ex-
tremæ famis, aliūsve cuiuslibet magnæ calamitatis. Tertiò,
ne absque chirographo aut parrochi aut illius, qui huic mu-
neri delegatus esset, quisquam mendicet. Quartò, quòd nisi
prius sacramentaliter confessis, huiusmodi chirographa men-
dicandi concedantur. Quintò, qui ad limina Iacobi peregrin-
nantur prohibiti sunt, & longam moram facere in via, & à
recto itinere vltra duodecim mille passus (quas Hispani qua-
tuor leucas dicimus) deuiare. Reliqua iustissimè extra con-
trouersiam sancta sunt. Postremus deniq; adiectus articulus
est, vt dioecesi, prætoresq; urbium, pro sua vtriq; facultate,
sattagerent, instituta hospitalia reficere: eorumq; dotes à qui-
busvis debitoribus ac retētoribus exigere. Atq; adeo curarēt,
si qua fortè ratione fieri posset, vt pauperes in suo cuiusq; ter-
ritorio abunde substinentur: ne vlla eos necessitas diuaga-
re compelleret. Hēc Metinæ anno proximè lapsō. 44. prælo-
mandata sunt. Super hæc fundamenta cōpere ciuitates in-
stitutiones construere. In quibus habebatur. Primum vt va-
gabūdi vrbe exigerentur. Mox vt aduenæ mendicantes, postquā
essent refeeti & recreati, certoq; donati subsidio, transire pro-
tinus cogerentur. Deinde, ne mendicantes indigenæ hostiatim
discurrere sinerentur: sed domi receptis, alij ad munus hoc de-
stinati eleemosynas colligerent, atque conficerent. Ad hæc
obeunda munera ministri, cū alijs, tū etiā prætores executores
creati sunt. Cūcta quidem zelo sancto ac pietate plena. Nēpe-

A 4 vt le-

vt legiti pauperes, qui domi clausi malunt præ verecunda extrema pati, quam ad mendicandum prodire, hac ratione maiora possent subsidia recipere. Nam qui aliter quam sancta intentione, institui hæc potuissent, Zamoræ præser-tim, quæ harum fuit vrbium prima, vbi prior ordinis religiosi ac toto orbe illustris diuini Ioannis aderat. Qui quando in præsentia celsitudinis tuæ suis aliis honoris titulis nuncupari non permittitur) cum in aliis ger mane Christianus, tum in pauperes Christianissime magnificus, atque (si verba co-hærerent) eleemosynarum sanctissime prodigus, nihil unquam in pauperes decerni permisisset, nisi religiosorum prudenterumq; iudicio in rem esse pauperum cognouisset. Post modum vero cum murmura in hac vniuersitate de institutio-nibus huiusmodi sub orientur, consulti nonnulli à Zamora sumus. Qui non in vniuersum eorum articulis aplausimus. At nonnullis pro iudicio nostro recisis, reliqua subscribere polliciti sumus. Tum demum post dies aliquot scripta ad nos ab eadem vrbe sunt capitula quædam articulorum, quæ sub-signaremus. Ingenuè fateor inscitiam meam ac temeritatem. Credidi nihil aliud in scriptis esse, quam ego verbo promisseram sub-signare. Et ideo, quam non legi scripturam, subnotau. Non quod inter tot numero, tamq; insigniter sa-pientes quicquam mea subscriptio authoritatis, aut addere, aut adimere posset: tamen audio aliqua illic haberi, quæ si le-gissem, probare præ ruditate mea non possem. Orsus hæc, q; postquam hisce diebus à reuerendissimo Cardinali Toleta-no, meam sententiam Valeoleti de hac eleemosynarum ra-tione rogatus, respondissem, non me cuncta posse mente ple-ne capere, ecce articuli ei Zamorenses exhibentur, meo nomi-ne sub-signati. Quos deinde (vt audio) coram claritudine tua eorum fautores produxere. At vero cum illius ego nō sim au-thoritatis, quam pythagorici suo Pythagoræ tribuebant: qui nullum veritatis testimonium petebant, quam q; magister di-xisset: sed eam potius Augustinianam legem ad Hieronymū Dif. 9.c. (quæ in decretis est) cum omnibus qui de hac re loquuntur, ego solus. tum maxime mihi præscriptam esse cupio: vbi ait nemini præ ter canonicos libros, quātlibet sanctitate doctrinave polleat, maiorem adhibendam esse fidem, quam eius rationes persua-sionesq;

sionesq; fecerint: quid ego alias subscriperim; nihil pro-pe-modum refert: sed quid rei veritas fuerit, pagellam hanc testē appello. Ad rem itaq; vt reuertar, à Zamora deinceps (tametsi nonnullis hic refragantibus) easdem hæc ciuitas cōstitutiones accepit. Hinc demū Valeoletum commigrarunt. Vbi (vt istic rumorem audiui) te amplissime domine, & quidem merito, anticipitem habent. Vnde mihi animum subiit, deliberatio-nem qualem hanc cunq; ad amplitudinem tuam scribere. Ve-reor ne vsq; ad satietatem narrationem protraxerim. At ne-cessarium arbitratus sum integrum rei summam, de qua di-cturus sum, primum omnium ob oculos ponere.

De vagabundis.

Cap. 3.

DEliberationem hanc, vt pleraque omnia, quæ in consulta-tione posita sunt, in duo statim secari ope-ræ pretium est. Enimvero quid nam liceat, quidve illicitum sit, primum oportet constituere, mox ex his quæ licita sunt, quid expedire videatur, discutere. Hæc par-titionem Apostolus priori epistola ad Corinth. sub his verbis adumbrat. Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. *1.cor. 6.* Omnia mihi licent: sed non omnia ædificant. Neq; verò eadē *2.cor. 10.* sunt ambo via perscrutanda. Sed diuersa potius lance expen-denda. Quid nāq; liceat, lege agendum est. Quoniam de qua re scripta est lex (vt super *L. prospeximus. ff.* qui & à quibus. *ff. qui &* *d. quibus.* iuris prudentes considerant) nullus disputationi conceditur locus. At verò vbi ex duobus, quæ ambo per legem licita sunt, *L. prosp-* vtrum eorum expeditat deliberamus, tunc ex æquo & bono, *ximus.* argumentisq; à prudentia profectis coniectanda res est. Et quia ex rerum diuisione per multa & scientiæ & consilia luce clarescunt, longè interest inter vagabundos homines, & eos qui, cum verè sunt pauperes, per orbem mendicando discur-runt. Nam de priori hominum genere, non lege modo parti-culari regni, sed antiquiori multo, quæ inter communia iura scripta est, atque adeo diuino ac naturali iure antiquissima, cautum est, ne in republica impune permittantur. Alteros ve-ro, nempe aduenas & peregrinos (saluo eorum iudicio, qui iu-ris prudentia præstant) nulla lege video, quo cunque illi gen-tium discurrat, inhiberi. Quin vero, si & euangelium, & quod naturalis

naturalis ratio suggestit auscultemus, neque esse appetet ex vagabun &quo & bono. ¶ Quantum ad priorem partem spectat, nondus. men, vagabundus, quanuis primo sono nihil aliud designare videatur, quam hominem, qui sine propria sede ac domicilio

Deforo per orbem vagatur (vt super c. fi. de foro competen. & L. hæ-
compet. res absens. ff. de iudi. docte adnotant iuris consulti) addendum
ff. de iu. tamen est, vt eius notio habet, quod sint homines nulla neces-
dic. l. hæ- sitate, commoditate, aut vtilitate vagantes. Alias non esset (vt
res.

plane est) nomen infame. quippe quo ociosos homines sub-
natamus. Qua de re qui ratione, aut artis exercenda, negotia-
tionisve, aut alias necessitatis siue vtilitatis patrios fines
egrediuntur, nec vituperantur, neque hoc proinde famoso va-
gationis nomine censemur. ¶ Ilgitur quod id genus homi-

Vagabun di lege di- uina pro- bibetur. nes qui neque substantiam habent, vt à seruilibus operibus
procul sint, neque debilitate rursus aut quoquis alio impedimen-
to legitime tenentur, quominus labores eiusmodi serui-
les subire possint, non debeant impune circumuagari, pri-
mum argumentum est à lege diuina. Cuius nos deus initio

Gene. 3. statim orbis conditi admonitos esse voluit. Vbi hominem
ex amoenissima illa paradiſo, in qua (si in iustitia & æquitate perseuerasset) suauissimo contemplationisocio fruere-
tur, merito suo eiiciens, in sudore (inquit) vultus tui vesceris

Dcu. 25. pane tuo. Idq; deinceps sub figura confirmauit: dum in Deu-
teronomio, ne os bouis trituranter ligaretur, edixit. Quod
1. ad Cor. (interprete ad Corinthios Paulo) non tam curam exprimie
9. quam Deus habet de bobus, quam quod homines qui in
opere sunt & negotio, digni sunt quo vescuntur pane. ociosi

Matt. 10. verò, minime. Id quod & Christus ipse seruator noster in euā-
gelio docuit: vbi ait, dignum esse operarium mercede sua: &
vbi homines illos in foro stantes ociosos reprehendit. Quan-
uis ociositatem illi excusauerint, quod nemo eos conduceret.

Matt. 20. Et ad Thessalonicenses Paulus. quos dain fratres acerbe redar-
guit, quod cum ociose & absque negotio essent, atque ideo
extra ordinem, eleemosynas à populo recipiebant. Et conclu-
dit, quod qui non laborat, neque manducet. Tametsi nonnulli
li quando non alio eos nomine subnotemus temerarij certe,
parumq; ad loquendum circumspecti, illius locum aduersus
religiosos mendicantes interpretarit entauerint. Cùm tamen

ibidem

ibidem Paulus, & alibi frequenter aperte doceat, quantum iuris habeant qui spiritualia seminant, vt temporalia metant. Attamen non est hic locus digressionis huius: sed ad proposi-
tam conclusionem reuertamur. ¶ Mox eadem conclusio ra- Lege na-
turali comprobatur. Qui enim in bonis non habet turali.
vnde viuat, nullum ius habet aliena petendi, nisi aut arte sua,
aut quoquis alio labore, aut negotio aliis vicissim seruiat. Vtra-
que enim ratione Deus & natura humanis rebus prospexit:
dum & diuites esse & pauperes sapienter disposuit. Sane, vt
diuites essent velut anima, quæ corpus regit: pauperes vero, vt
corpus quod animæ seruit. Quippe qui terram colant, artes
exerceant, vt sine quibus humana vita transigi nequit. Deus
enim & natura (vt. io. de natura animalium Arist. autor est)
nihil vñquam frustra fecit. Idcirco qui ociosam prodigunt vi-
tam præter legem naturæ viuunt. Vnde vt Seneca. 19. lib. ad
Lu. & ij. de natura deorum Cicero testes sunt, ociosi homi-
nes perinde sunt, ac si non essent. Et Demetrius philosophus
ociosos homines mare mortuum appellat. Adeo vt neque
magnates, qui subditorum vectigalia exigunt, alio ullo iure
possent accipere, nisi ob curam, solertiam, ac (si opus est)
sudores, quos in subditis gubernandis subeunt. Quinetiam
& principes (vt Cæsar rerum clarissime gestarum longo
vnu compertum habet: & tu inclite Princeps iam iam ex-
periri pergis) id penitus iuris ac meriti ad tributa habent,
quæ sibi à repu. conferuntur, quod (vt ait ille) tot tan-
taq; negotia sustineant, vt rem pub. armis tueantur, mori-
bus ornent, ac legibus emendent. ¶ Tertia hæc ratio præfa-
tæ conclusionis est. Ociositas (vt est in Salomone) multam Ocioſita-
malitiam docuit. Cuius causam alio proverbio explicat. Nam tis mala,
cum desideriis semper sit prægnans ociosus, quid demum
aliud, quam malitiam parturiat, & iniquitatem? Primum om-
nium consuetudini aliena petendi annexa confessim est adu-
latio. Mox verecūdia perficitur. Quo tamen freno homines
à vitiorum præcipicio retinentur. Tertio caro ad libidinē emol-
lescit. Etenim vt poëta ille scriptū reliquit. Ocia si tollas, perie-
re cupidinis arcus. Quarto mēdicitas vagabūdi, furandi magi-
stra est. In summa, cū huic generi perditorū hominū nulla cū
hominibus melioris notæ, quorum bonis moribus imbuan-
tur,

tur, consuetudo sit aut commercium, fit ut Christianæ totius religionis facile obliuiscantur. Atq; adeo quibus ipsi coloribus semel infecti sunt, inquinare alios & contaminare pergunt.

Vnde Platoni in de republica, ociositas pestilentia mortaliū est. Quā ob rem accuratissimè cavit, vt nemo esset in republi-

**De conse-
dit. 5.** ca, qui ociosam viueret vitam. Et inter nostros sanctos Theo-
logos Hieronymus ad rusti. (id quod de consecra, dist. v. capi-
tulo, nunquām, refertur) hoc nos clypeo aduersus arma dia-
boli protectos esse commonefecit, si nunquām nos ociosos

**Augu. ad
vercel.** aduersarius ille inueniat. Et Augusti. in epistola quadam ad
vercellenses. Nullus (inquit) fructus ocij: imo magis dispen-
dium. Ociosus Esau amisit primatus benedictionem: quia

Hom. 26. maluit cibum accipere, quam querere. Et Chrisosto. super
Ioan. Peruersi facti sumus ocio: non laborare, nos corrumpe-
re assuevit. Et Sene. lib. de clementia. Emollit ocium vires:
sicut rubigo ferrum. Fax immota torpet: ignem agitata re-
stituit. Atqui aliis compluribus quæ in sententiam hanc cu-
mulari facile possent, clarissimis testimoniosis, propheta ille

Eze. 16. Ezechiel post longam Hierosolimorum execrationem: quo tandem malorum omnium semina patefacere. Ecce (inquit)
hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas
panis, & abundantia, & ocium ipsius, & filiarum eius:
& manum egeno & pauperi non porrigebant. ¶ His aliisque
huiusmodi testimoniosis & argumentis instructi quotquot
rem publicam, aut scriptis præceptis instituerunt, aut rebus
clare gestis gubernarunt, ociosos huiusmodi homines de
medio rei publicæ sublatos esse volunt. Qui ex sententia Sa-
lomonis sunt velut acetum dentibus, & fumus oculis. Quo

**Arist. 7.
poli.** circa Aristo. 7. eorum lib. quos politicos inscripsit, rem publi-
cam in ocium partitur & negotium. Atque homines ingenio
præstantes (quos liberos vocat) in ocio esse præcipit. Quod
est, à mechanicis artibus, aliisque id genus corporeis labori-
bus exemptos. Qui partim ad gubernacula reipublicæ se-
deant: partim rei militari præficiantur. Alij literarum contem-
plationi incumbant: alij denique diuino cultui mancipen-
tur. Eis verò, qui corporis potius robore, quam ingenio va-
lent, seruili vulgo, nullum (inquit) ocium dandum est: sed in
opere semper & negotio teneantur, opportet. Qua de causa

Lacede-

Lacedemonij, bellis efferati homines (vt idem illic Philo-
phus commemorat) plus fortè iusto armis & rebus bellicis iu-
uentutem exercebant. At Numa pompilius, secundus Roma-
norum Rex, homo contra suopte ingenio religiosus & paci-
ficus, nō solum (vt Liuius refert) propter deorum cultum tan-
tam sacrificiorum ac ceremoniarum multitudinem instituit:

sed in hoc præterea, ne qui armis fuerant assueti, luxuriarent
ocio animi. ¶ Ad ius ergo commune vt descendamus, hanc ob
rem. Justinianus imperator legem tulit. li. C. ii. cui titulum fe-
cit, de mendicantibus validis. Quod est, de his, qui cum non vali. C.
modo sani, sed sint & ad labores satis firmi, ficta simulataque l. ii.
infirmitate, orbem mendicando peragant: legitimorum pau-
perum eleemosynas iniuria usurpantes. Qua proinde lege po-
testas cuicunq; fit & facultas, homines huiusmodi, si seruilia
sint, manu capiendi. Sin verò sint liberi, perpetuo (inquit) co-
lonatu fulciantur. Idem ferme in Auten. de quæstore. colla. 6. Auten. de
cauetur. Sane vt quæstori curæ sit, aduenas qui in vrbe sunt,
qualis quis sit, explorare: quodq; negotium aut fortuna eos
in vrbe perduxerit: eorum causas, quo facile expediantur,
procurare. Si manere velint, valentesq; sint & ad laborem suf-
ficientes, ad laborem compellantur. Si seruilia, possessoribus
transmittantur. ¶ Hinc & peculiares leges regni deriuatæ sunt.
Neque aliud progenitores altitudinis tuæ de hac resanxerūt,
quam vt iuri communi subscriberent. Extat primum inter
eas quas partitarum vocant: parte. 2. titulo. 20. edictum, quo
legi de mendicantibus validis subscribitur. Nempe q; huius-
modi sobeiani (verbum legis est) & vagabundi à republica, ve-
luti hostes, profligantur. Id quod lege alia inter eas quas ordi-
namenti appellant, tametsi pluribus verbis, cauetur. Lex pri-
ma est tituli. 14. lib. 8. Biruieſcæ anno à nato saluatore. 387. su-
pra millesimum promulgata. Vbi nouum aliud detrimen-
tum, præter ea quæ supra commemorauimus, refertur, quod
respublica à vagabundis accipit: videlicet q; dum ociosorum
hominum turba permittitur, agri vacant cultoribus, & artifi-
cum inopia respublica laborat. Quo circa, rigore pœnae mo-
derato, quæ lege de mendicantibus validis vagabundis decer-
nitur, potestas cuicūq; fit vagabundi in seruitium proprium
cogendi mense integro, absque villo stipendio, præter victum.

Lex partis.

Lex ord.

Aut

Aut q̄ flagris cæsus, ab vrbe exulet. Hæc sunt princeps integrime, quæ diuino ac naturali iure, ac subinde positivo & communi, & regni peculiari de exigendis vagabundis sanctissime statuta sunt. Quibus conclusio prima satis (vt existimo) stabilita confirmataq; est. Sanè q̄ vagabundi nō sunt permitendi. vt Cæsar in conuentu apud Matritum anno.34. & alibi frequenter prouidenter edicto publico imperauit.

De aduenismendicantibus.

Cap.4.



Vbsequitur vt membrum alterū distinctionis, quam supra fecimus, expendamus. Quod est. Vtrum licitum cuius hominum sit, modo non sit factus, sed verus pauper, patios limites egredi & quocunque regni mendicatum ire. An verò contra possint lege prohiberi atque intra huiusmodi limites cohiberi: vt præfatis illis regni petitionibus ad Cæsarem continetur. De quo si lex esset iam Cæsaris promulgata, vñq; lōgo recepta, verba facere metuerem. Tametsi etiam tunc, si expediret, æquissimus Cæsar & consultissima curia legem mutaret. Nulla enim iniuria legibus fit, si pro temporum qualitate mutantur. At cum lex ista non modo non sit executioni mandata, verum si quis senatus illud consultum anni quadragesimi inspiciat, neq; sub tenore legis lata sit, nihil aliud quā obsequium existimo, si ad celsitudinem tuam qualescunque huius rationes referam. ¶ Primum omnium petitiones illæ sunt res noua: de qua nusquam gentium aut rogata vñquam lex est, aut ædita. Neque temere me hoc vereor affirmare: sed iura omnia diuina & humana testimonio fuerint. Id quod profectò aduersus inuentum hoc, magnum validissimumq; est argumentum. Nam certo credas princeps clarissime, si res hæc tam esset ex æquo & bono, atq; isti censem, nūquam tam imprudentia fuisse antiquitas, quæ non de hac re legem scripsisset. Cùm tamen contrarium & ius commune, & regni particolare admoneat: & ratio naturalis persuadeat: & aperte sacra pagina prædicet. In Autētico præfato de quæstore, postquam cautum est vt aduenarum causæ & negotia examinentur, quibus expeditis valentes & firmi aut in suam cuiusq; partiam transmittantur, aut laboribus mancipentur, exceptio inde

*Res no.
vñ.*

*Auten. de
quæst.*

*inde sub hæc verba fit. Læsos autem aut læsas corpore, aut canicie graues, hos sine molestia esse iubemus in hac nostra ciuitate. Nullo prorsus inter indigenas aduenasq; facto discrimine. Cui lex quam hispani dicimus ordina. (cuius paulò ante memini) ad verbum subscrabit. Nam postquam præcipit *namenti*, vagabundos exilio relegari, eximit inde, nisi fuerint senio graues, aut debiles aut valetudinarij: adeo vt de facie coniicere licet, non posse corporali se opere, & labore sustentari. Hos nanque absq; villo discrimine siue ciues sint, siue aduenæ, impune lex illa mendicare permittit. Quam deinceps legem Henricus rex apud Taurum edicto nouo ad verbum confirmavit. Quare intelligere non valeo quomodo ex huiusmodi legibus communibus, aut regni elici possit, vt mendicantibus fines & lineæ præscribantur, extra quas non sit eis liberum mendicare. Si quidem nulla haec tenus ab incolis, modo pauperes sint, aduenas discriminauerit: sed tantum inter simulatos factosq; mendicos, atque legitimos vniuersæ distinxerint. Quam ob rem (si coniicere licet) & Cæsarea maiestas & eius à consilio curia. xvij. annos distulit ad huiusmodi supplicationes certo respondere, vtpote quas non tam de Christiano pectori erga legitimos pauperes, quam ex satietate mendicantium proficiunt, suspicio erat. Neque in contrarium obiici potest responsum ad petitionem. 117. in conuentu apud Matritum anno.34. quippe quo de vagabundis penitus pronunciatum est, vt poena legis pleterentur. Quod autem de legitimis pauperibus Imperator adiecit, vt videlicet suis cuiusque dioceſibus procurarentur, clementiam potius regis, quam rigorem legis præ se fert. Quod autem sub conditione subiecit, si quibus abundè necessaria prouiderentur, mendicare non liceret, id sine discrimine aduenæ aut indigenæ iuste præceptum est. Neque aliud profectò curia anno.40. edicere voluit, nisi quod si certo constitisset abundè omnia pauperibus domisuppetere, non permetterentur mendicare. Nunquam tamen legitimis pauperibus decreta poena est vbiunque mendicent: siue in patria propria siue in Veri pau aliena. ¶ Fuerit ergo hic sub peritorum censura cōclusio. Pau peres vbi peres qui vere egent ex nullo loco regni expelli possunt: sed que iure perinde vt indigenæ & incole aut permittendisunt medicare, medicat. Cōclusio.*

aut

aut alia sunt ratione sustentādi. Hanc conclusionem pro mei tenuitate ingenij: quinq; sex ve rationibus afferere possum. Præter testimonia quæ de sacris literis subiiciam, Prima est hæc. Nemo nisi hostis aut insidiator fuerit rei publice, crimen ve aliquod aut flagitium admiserit, ab oppido quocunq; arceri potest. Ratio in promptu est. Nam cum iure naturali & gentium viæ ciuitatesq; omnibus promiscue pateat, iure vbi cunq; libuerit commorandi nemo, nisi pro culpa, priuari potest. Vnde exilum inter aceras poenas legis est. Adeo, vt L. capitalium. ff. de poenis, si non omnino capitalis, saltē huic proxima censeatur. Et quanuis aduenam ad proprium solum remittere non sit rigorosum exilium, est tamen iuris violatio, qua integrum est cuicunq; vbi voluerit commorari. Igitur cū legitimis pauperibus nullum prorsus sit crimē, aut flagitium mendicare, nullo certe iure possunt ex oppido quocūq; eiuci: quam diu ipsi illic commorari voluerint.

Ratio. 2. Secunda ratio forte est evidentior. Principes aut res publica non possunt leges de eleemosynis ferre, quibus maiori vinculo ciues ad eleemosynas obstringant, quam sunt leges naturales & euangelicæ. Verbum ita expono. Disceptatio est inter Theologos, aliis docentibus non currere præceptum aut diuinum, aut naturale de eleemosyna sub peccato mortali, nisi in extrema necessitate, aliis vero similius astruentibus non solum tunc, sed & ex his quoq; quæ hominibus pro suo cuiusque statu & conditione superfluunt, in graui saltem necessitate, teneri homines sub mortali peccato ad eleemosynas. In qua sententia est etiam, præter alios. S. Tho. At fortè etiam in hoc casu, nemo tenetur de necessitate dare huic, vel huic: aut modo vel alio tempore. Sed satis est si quis de superfluo aliquibus quandoque egentibus erogauerit. Huiusmodi legibus Princeps adiicere nullam potest, nisi q̄ in extrema necessitate potest ad eleemosynas sub poenarum comminatione cogere. Attamen extra illum casum sub nulla poena potest ad eleemosynas cogere: quia nec latius præceptum euangelicum extenditur, vt sub peccato mortali obliget. Sed nihilominus etiam illi qui sunt extra extremam & grauem necessitatem ius habent mendicandi ad quamcunque aliam necessitatem subleuandam. Quibus misericordiae virtus & officium est subuenire. Neq;

Cæsar

Ratio. 1.

L. capitula-
lii. ff. de
poenis.

Ratio. 2.

Cæsar aut curia quando promulgauit, vt pauperes in suo cuiusque territorio alerentur, intenderet ciues compellere ad alendos suos pauperes abunde ne mendicare indigerent: sed solum edixit vt dotes hospitalium à debitoribus exigerentur. Adiecit autem citra præceptum, vt diocesani atque prætores operam darēt, si quo pauperes modo infra proprios lares sustentari possent. Hinc colligitur secunda hæc ratio. Nemo Ratio. 2. cuiuscunq; sit authoritatis, vel potestatis inhibere potest pauperes è sedibus propriis mendicatum exire, nisi ciues lege omnino compellat, vt nō solum tanquam ex misericordia, sed veluti ex debito pauperes pascant, vestiant, cæteraque eis necessaria ministrent: quia si arctiori vinculo occluderet pauperes quam diuitum bursas aperiret, cogaret miseros extrema pati: sed princeps non hoc potest rigore ciues cogere, vt mendicos alant: saltem non haec tenus fecit: ergo nec potest in propriis territoriis eos occludere. Quin verò quantūcunq; rigorissima lex lata esset vt episcopatus quilibet sub graui poena, suos pauperes aleret, ciues tamen non omnibus prouiderent, pauperes tunc edicto liberi essent: possentq; quocunq; vellēt mendicatum ire. Nam quomodo, precor, potest lex pauperes prohibere patriam exire, si id nec crimē, nec culpa est? Aut quomodo culpa esse potest, si non sibi abude necessaria professaq; familia ministrentur?

Tertia ratio, quæ proximam lucidius explicat, huiusmodi est. Quemadmodū intra moenia eiusdem ciuitatis alteri diuites, alteriq; sunt pauperes, & in finibus eiusdem episcopatus alia sunt oppida, quæ diuitiis & fortunis affluunt, alia vero quæ inopia & egestate laborat, ita & in toto regno. alij sunt episcopatus prædiuites, nempe aut vbi gleba pinguior, terraq; fructuum beginior est, aut gens negotiatione locupletior: alij vero steriles & pauperes: ergo vti diuites ciues, pauperes eiusdē vrbis: & oppida ditiora, pauperes aliorum locorum eiusdem episcopatus eleemosynis sustinere debent (vt authores illarum petitionum contentur) ita & locupletes episcopatus non possunt excludere aduenas pauperes steriliū regionum. Collectio profecto aperta est. Nam quemadmodum ciuitas & episcopatus, ita & totum regnum vnu est corpus & vna respublica: cuius omnes ciuitates membra sunt. Cur enim, deus si hoc vnu quam tibi sa-

B pientif-

pientissime princeps in mentem venit, asturium finibus aë
mōtanorum, quos in saxosum illud tenuetq; & infrugiferum
solum cōiecerat, optimos campos ac pingues subiecit, Tolata-
numque regnum adiecit, nisi vt aliorum inopiam, aliorum
fertilitate subleuaret. Nec satis est hoc interpretari, quando fa-
mes aut alia grauis calamitas acciderit: quia non solum ex-
treme indigentes, sed extra illam patiuntur etiam homines
necessitates: quibus subleuandis ius habent mendicandi. Et
in regali curia celsitudinis tuæ, vbi tot ducatorum millia ex-
penduntur, quomodo non multò plures admittantur men-
dicī quām in integra alia prouincia? Vbi domus vna prælati
cuiuslibet, aut magnatis plures pascere mēdicos sufficit, quā
alij ex ciuib, centum. Quando miserabiles huiusmodi ho-
mines vt vermes in republica habentur, & conculcantur, in-
tegrum eis saltem cum formicis sit, arborum fastigia, victum
quærentes, ascendere. ¶ Quod autem vnum tantum regnum
videbar paulò ante vnum corpus æstimare, secundum indul-
gentiam (quod ait Paulus) dicebam. Addiderim namq; pau-
peribus vnius regni aditum ad regnum alterum lege Christi
patere. Nam quod Apostolus corinthios instruit, nos omnes

^{1. Cor. 12.} vnius esse corporis membra, nō in angustias vnius regni me-
taphoram redigit. Sed omnes (inquit) vno spiritu in vnum
corpus baptizati sumus. Non ergo vnum tantum regnum
vnum & corpus: verum vno baptismate Christiani vniuer-
si in vnum corpus regeneramur vt singuli inuicem simus,
vnius alias, membra: vñibus officiisq; diuersis distributa. Ut
enim in fabulis est Græcorum quod claudium cæcus hume-
ris importabat, vt vicissim claudus cæci gressum dirigeret, ita
& inter Christianos qui ingenio præstant, ignorantiam oculi
esse debent: qui vero corporis robore & viribus valent, debi-
lium sint manus ac pedes oportet: sed diuites qui substātiā
habent huius mūdi, stomachi vicem erga pauperes gerere te-
nentur.

^{Ad ro. 10.} Ad omnium sit demum caput, Christus. Neq; Paulò
secundum euangelium distinctio est in Christo Iudæi &
Græci: nam idem dominus omnium. Quisimo si altius res
ad ius naturæ referatur, genus hominum adeo suapte natu-
ra arctissimo sunt vinculo coniuncti, vt, nisi hostes nobis es-
sent, aliquodve ab illis fidei detrimentum timeremus, neque
infideles

infideles mendicos è nostra republika eliicere fas esset.
¶ Quarta ratio huiusmodi est. Præterquam quod aliæ regni Ratio. 4.
prouintiæ bonorum ac fortunarum quam alis amplius abun-
dant, sunt etiam gentes aliis. aliæ in pauperes clementiores:
aliæ vero nescio qua auaritia ac potius crudelitate eleemosy-
narum tenacissimæ. Et cùm homines ad eleemosynas con-
stringi alia quam supra diximus ratione non possint, crude-
liter cum pauperibus actum esset, nisi potestas miseris facta
esset vt ab vna se in aliam prouinciam conferent. Adde quod
infirmi, aut valetudinarij pauperes sæpe sæpius necesse habēt
propter aëris inclem tam regionem petere, vbi salubrius
refrigerentur. Et potest idem pauper assiduitate & frequentia
mendicandi satietatem facere incolis eiusdem vrbis, aut alia
quauis fortè de causa molestus esse: quapropter compulsus
fuerit solum mutare. Adde, quod fortè inimicos illic habet,
aliamve occasionem peccandi, vel aliquid admiserit, vnde
supplicium metuit. Quibus de causis necessarium habet, aut
transfugam alibi, aut exulem esse. Nec compelli iure potest,
vt rationem reddat desertæ patriæ, magis, quasi diues esset.

¶ Quinta ratio à iure sumitur hospitalitatis. Quæquidē, nulla Ratio. 5.
fuit nunquam in antiquitate natio, aut res publica, apud quā
non in magno pretio fuerit habita: atque omni religione cul-
ta. Hospitalitatem enim Plato tertiam partem amicitiæ facie- Plato.
bat. Hanc Theophrastus (Cicerone.lib.offi.primo referente) Cicero.
summis laudibus efferebat. Adeo, vt iouem suum gentilitas libr. i.of-
quem deorum optimum maximumq; colebat, hospitalem, fi.
honoris gratia nuncuparent. Quo nomine tēpla Ioui arasq;
erexerunt, Videlicet quod iudex esset vindicatorque acerri-
mus violati iuris hospitium. Atqui ne ex gentibus testimonia
petamus, Paulus Hebræis hospitalitatem (inquit) nolite obli- Hebr. 13.
uisci. Per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio rece-
ptis. Alludit ad hospitium, quo & Abraham & Loth ange-
los exceperunt. Quo merito Loth cùm familia subuersiōne
sodomorum euasit. Tanto ergo honore Deus hospitalita-
tem dignatus est, vt angelos ad terras miserit, vbi hospitalita-
tis beneficium reciperent. Et Raab illa meretrix Iherico pro-
pter hospitalitatis officium à cede & præda ciuitatis liberata
est. Vnde & multi sunt canones quibus hospites Christia-
norū

norum fidei committuntur. Igitur si hospitalitatis officium adeo fuit semper celebratum, quibus rogo maiori cum laude & merito Christiani se possunt hospitales exhibere, quā egenis & mendicis. Hospitalitas autem non tam erga incolas ac ciues nostros, quam erga aduenas & peregrinos exercetur. Nam quāuis officium etiam sit, egentem quemlibet tecto suscipere hospitalitatis tamen nomen aduenas propriè designat. ¶ At verò quo postremo conclusionem hanc sacrorum testimoniis confirmemus, nusquam sacrae scripturæ discrimen ullum inter indigenas & aduenas (modo pauperes sint) factum esse legimus. Quin potius a quo iure & momento commendat nobis vbique sacrum eloquium aduenas pauperes, atque indigenas. Primum exordi. 23. Exo. 23. Peregrino (inquit deus) molestus non eris, scitis enim aduenarum animas: quia & ipsi peregrini fuistis in terra Aegipti. ¶ Et leuitici. 23. Postquam mesueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum: nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus & peregrinis dimitteis eas. Et Deuteronomi. 10. Deus amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum: & vos ergo amate peregrinum. Et Paulò inferius capite. 14. Peregrino qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei. Primum quidem, si fuerit pauper: alterum vero, si vnde emat habuerit. Et quod omnium maximum est, inter ea de quibus nos Christus seruator noster admonuit exacturum esse rationem, unum, neque in postremis est, si cum hospes erat & tecto carens, hospitio eum exceperimus. Respondeant ergo mihi quæso qui aduenas pauperes abigunt, si & vagabundos profligamus, neque alieni genis pauperibus hospitales sumus, quinam reliqui sunt, quos erga possimus hanc misericordiam exercere. Nisi eos forte dixerint, diuites inquam homines & illustres, qui apud pares alios hospitantur. Hos verumtamen (tametsi & hoc officium sit) non eos existimo esse, quos Christus designauit, vbi inter alias pauperum eleemosynas, & hospitalitatem quoq; cōnumerabat. Arbitror ergo, nisi mea fallit opinio, ius esse pauperum quocūq; regni mendicatum procedere. Nec satis est dies binos, aut ternos substineri in vrbe, si diutius illic commorari libuerit.

Quo

Quo obiectionibus respondetur.. Cap. 5.

Neq; ullam vñquam, quæ huic aduersetur, legem vidi. Nisi pro lege habeatur, quod flandriæ modo apud Hiprum institutum audio. Vbi inter alias constitutiones, prouidēter quidem & Christiane institutas, decretum etiam est, ne alienigenis pauperibus vrbs pateat. At non omne exemplum pro lege habendum est. Aiunt Parisienses patres decretum subsignasse. Id quod profectò nunquam credam. Hoc enim tantum probare potuerunt, quod non tenerentur omnibus prouidere. Quod tamen in vrbe non admitterentur, nulla id ratione Parisienses, aut qui quis sacrarum scripturarum, iurisve prudentes affirmare potuissent. ¶ Quod autem omnium maximum testimonium prose afferre possent, qui asserunt pauperes intranatales limites lege contineri posse, est ex concilio Turonensi secundo sub Pelagio primo, annis hinc ferme mille celebrato. Cuius in cap. 5. verba sunt hæc (Vt vnaquæq; ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, vt tam vicini præbiteri, quām ciues omnes suum pauperem pascant, quo fiet, vt ipsi pauperes per ciuitates alienas non fatigentur.) Hoc veruntamen æquissimum ac sanctissimum decretum nobis potius, quām aduersæ opinioni manifeste suffragatur. Hic namq; nulla fit prohibiti pauperibus, quo minus quocunque libere possint mendicatum exire. Sed in fauorem pauperum admonetur vnaquæq; ciuitas suos incolas pauperes sustentare. Quo fiet (inquit) vt pauperes per alienas ciuitates non fatigentur. Et præterea neque verba noui præcepti sunt positivi, vt vnaquæque ciuitas suos incolas congruenter sustineat. Sed solum admontur iuxta veritatem euangelicam, ita se gerant erga pauperes, vt non cogant miseros aliunde victum queritatem. Erat enim tunc vsq; adeo erga pauperes, & in prælatis cura, & in subditis charitas, & in omnibus benignitas, vt non solū mendicis nulla esset necessitas, in alienas exeundi, sed certè neque in propria patria mendicandi. Nisi forsitan pauper esset ciuitas, vt suis mendicis non sufficeret. Quod tum apud alios frequenter, tum etiā apud Cyprianum legitimus. Cuius verba

B 3 fund.

Ciprii. sunt libr. i. epistola. io. Quod si illic ecclesia loquebatur enim de paupere ciuitate non sufficit, ut laborantibus præstentur alimenta, poterunt se ad nos transferre, vt victum hic & vestitum accipere possint. Et libr. 3. epistola. io. Habeatur interim quantum potest pauperū cura, ut his ad tollerandam penuriam sumptus per vestram diligentiam suggeratur. Et epistola. 24. Infirorum & omnium pauperum cutam peto diligenter habeatis: sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria. Quæ quantitas, ne fortè iam vniuersa erogata sit, misi aliam portionem, ut largius & promptius erga laborantes fiat operatio. Sed de hoc latius infra. Hæc enim solum attuli, ut ostenderem, qua ratione primitua ecclesia, sanguine adhuc Christi madens & feruens, operam dabat, ut pauperes nō peregrinarentur apud alienos. Non enim yllis eos limitibus, aut prohibitionibus, ne exirent, sepiebat. Sed ita eorum necessitatibus prouidebat, ne compellerentur exire. Quocirca mirari satis nequeo, quomodo à Cæsare petitum sit, ut literas apostolicas imperare, ne pauperes possent extra natale solum mēdicare. Nam quomodo Pontifex huiusmodi literas cōcessisset, nisi arctissimo præcepto & Pontifex & Imperator quācunq; ciuitatem adeo obligaret ad alendos pauperes, ut possent, etiā per prætores sicuti ad reliqua tributa, cogi ad pauperū cōgruētia alimenta vestitūq; & reliqua necessaria erogāda. Ut paulò ante dicebamus. Quæ quidē lex (ut illic itē insinuabā) nec fortè iuste ferri, nec cōmode executioni mādari posset. Sed de hoc *Obiectio* tuis adhuc infra. Rationes aut quæ authoribus illarū petitio num in animū inducerent, nihil aliud quā equitatē petere, hæ fermē esse poterant. Primū causari possent, nullā prouinciam aliis pauperibus teneri: sed suis vnam quālibet tantū debere. Alias pauperū sarcina in hāc plusquā in aliam inique propēderet. At ratio hæc bifariā diluitur. Primū damus nullā prouinciam (ut ex his quæ præfati sumus colligitur) pauperibus alterius præcepti vinculo teneri: quia nemo citra extremā necessitatē petēti largiti cogit. Nō tamē protinus cōsequitur, ut possit mēdicus limine arceri: quominus ius habeat salua cuiusvis libertate) & vbiq; & à quocūq; postulandi: ac prece quālibet ad misericordiā commouendi. Præterea in qua prouincia

plures sunt diuites, eo iure quo vberius eis Deus ac copiosius bona fortunæ distribuit, largiores etiam cleemosynas Christi pauperibus, cuiuscunque sīt gentis, debent. Alias cum Deus sit omnium dominus, non prouidenter vitæ humanae prospexit. ¶ At replicet quis fortè, charitatis modo & ordine, plus nos eis, priusque teneri, quibus cum sanguine aut alia necessitudine coniuncti sumus, atque adeo ciuibus nostris, quām alienis. Id quōd Paulus Galatas edocebat, vbi Gal. 6. ait. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maximē autem ad domesticos fidei. Huic veruntamen respō detur. Primum quōd Paulus non solū erga domesticos nos admonet esse beneficos: sed erga omnes cuiuscunque sīt nationis aut conditionis. Id autem solum docet, quod vbia cultas amplior non suppetit, ab iis qui sunt nobis propinquiores exordiamur. Præterea respondeatur, id quod attentius in hoc loco ad notandum est. Nempe quod aliud est quemcunque amplius teneri suis, quām alienis (quod duntaxat docet Paulus) longē vero aliud quod alieni & exteri iure suo priuentur quod habent petendi eleemosynas à quocunque mortalium, præsertim inter Christianos. Quod reuera nunquā est licitum. Fortasse dum ciuitas in extrema egestate & fame constituta, sibi non posset sufficere, ius haberet arcendi aduenas propter extremam, quam patitur, inopiam. Tametsi profectò vix tum tēporis id potuisse consulere. Quintimo, famis calamitate in totum regnum ingruente, quicūq; habet ius exquirendi. victum vbiq; inuenire potuerit. Sed satis esset tunc populum admonere, ut qui non omnibus posset, suis prius succurreret. ¶ Altera ratio quæ ad persuadendam huiusmodi petitionem affertur, est, quod sint qui habentes in bonis vnde viuant, dum in alienam se transferunt prouinciam paupertatem simulant, atque adeo fraude eleemosynas surripiunt, quæ possent in incolis legitimis que pauperibus melius collocari. Et præterea contagiosos morbos ac pestes ab vna regione in aliam traducunt. Aliaque his similia inconuenientia in præfatis petitionibus referuntur. Fateor (id quod compertissimum est) nullum esse hominum statum aut ordinem, vbi non sint boni & mali probi & improbi, ut paulò post suoloco sum latius dicturus. Attā-

men quando status & conditio genere suo licitus est, ita sunt mali plectendi, vt nulla statui irrogetur iniuria. Cùm ergo pauperum conditio, eorum etiam qui aduenæ sunt & peregrini, inter nos licita sit, satis fuerit si quoties facti pauperes comprehendantur, poenas luant. Veluti in aliis quibuscunq; hominum ordinibus lege & more fit. Neque sunt propterea aduenæ pauperes penitus extirpandi. Id præsertim, q; qui domi substantiam habentes, alio se transferunt ut mendicitatem mentiatur, adeo rari sunt, vt nulla eis propter numerum opus sit lege. Neque est q; à mendicantibus timeatur, vt propter eorum multitudinem villa unquam prouincia, aut certe ciuitas minus in bonis habeat. Quod verò de pestium contagione causatur, non sunt peregrini, qui huiusmodi pestes frequenter transmittunt. Sed turba pauperum vbi cunq; est, etiam incolarum, solet nonnunquam in causa esse morborum ac pestium. Neq; occurrit quodnam præterea argumentum aduersus aduenas & peregrinos, qui sint tamen legitimi pauperes, obiicere quisquam vel probabiliter poterit.

De peregrinis ad diuum Iacobum.

Cap. 6.

Articolo huic proximo ille appendet qui est de peregrinis ad diuum Iacobum. Qui est, vt nec longam moram trahant, nec à recto itinere ultra duodecim millia passuum declinent. De quo, ne omnia dicendo contaminare videar, non multa volo verba prodigere: sed pauca hæc admonuisse, sat erit. Primum quod cum peregrinatio opus honestum sit ac religiosum: neque omnium certe postremum, quæ ad diuinum cultum attinent, non decet propter vnum aut alterum, qui forte sub habitu peregrini vagabundum agit, quicquam decerne, quod in odium esse peregrinationis videatur. Id præcipue q; peregrini, alienigenæ sunt: qui ab exteris regionibus plurimum religionis gratia ad nos veniunt. Ob idq; possemus inde aliis regnis scandalum dare, quod præscripta, & vndiq; septa semita peregrinos constringimus, veluti pecus, incedere. Adde itineris sterilitatem: vbi vix posset tanta peregrinorum frequentia, vel pane refici. Qui tamen iure, & hospitalitatis & religionis

religionis laetus ac benignius deberent apud nos recreari. Præterea sunt & in visceribus regni stationes aliæ, ad quas religio etiam est diuertere. Quinetiam si quos vel curiam celitudinis tuæ, vel vrbes aliquas principes regni visendi cupido subiret, nunquid inurbanum ac prope modum inhumanum esset, vias eis vel eleemosynas interdicere. Crediderim procul-dubio violati iurisgentium aduersus nos agere tunc possent. Tametsi liceret eis tunc tempus præfinire, quo in patriam remearent. Neque aliud existimo curiam pronunciasse, nisi q; qui vel incuria vel alibi regni longam moram sub habitu peregrinorum facerent, ad sedes suas transmitterentur. Iuxta tenorem. Auten. de quæstore. Nam iam tunc veluti vagabundi sunt iudicandi. De quibus tantum Cæsarea maiestas apud. Matritum anno. 34. edixit, vt à curia pellerentur. Hæc sunt Princeps omniū integerrime quæ de prima parte huius qualisq; disputationis prolatu digna visa sunt. Vbi discutere proposueram quid per leges circa pauperes constitui liceat, quidve neutiquam sit licitum. Atqui animus erat persuadere (nescio an præstiterim) quod id duntaxat inter pauperes discernendum est, sint ne legitimi pauperes, an verò facti & simuli. Quorum inter neutros amplius distinguere iure licet, sint ne indigenæ & incolæ, an alienigenæ & aduenæ. Sed si legitimi fuerint, tam aduenis quam peregrinis ius est promiscue mendicandi. Id tamen ordo charitatis exposcit, vt qui non omnibus possunt, ceteris paribus, incolis prius eleemosynas cōferant. Dummodo alij iure mendicandi nō expolientur. Qui verò contra pseudopauperes fuerint, tam indigenæ quam alienigenæ, sunt tanquam ocosi exterminandi.

Epilogus

Peregrinatio.

De fine quo ratio pauperum referenda est.

Cap. 7.

Membrum alterum deliberationis huius est, eorum quæ lege erga pauperes constituere & execere, Secunda qui licitum est, rationem modumq; discutere, pars. quo melius fiant. ad Christianamq; religionem proprius accedant. Sex articulis supra complexi Sex arti- sumus, quæ erga pauperes constituenda circumferuntur. Pri- culi. mus ut nemo antequam de eius inopia legitimo examine constiterit,

constiterit, mendicet. Alter, ut nemo nisi in solo natali mendicet. Tertius ne cui id liceat sine chirographo. Quarto, ut ne chirographa nisi sacramento confessis concedantur. Quintus est de peregrinis ad diuum Iacobum. Sextus (qui omniū celeberrimus est) ne pauperes hostiatim per vicos mendicare sinantur. De secundo quidem & quinto copiosius (ut reor) dictum est, quam ut eos iterum opus sit in disputationem repetere. Primus autem qui ad examen attinet, iuris habet auctoritatem. ut capite tertio late patuit. Sed id modo in dubium reuocatur, quam huiusmodi examen fieri debeat exacte. Cui proinde tertium quartumq; articulos insertos esse oportet.

Finis.

Arist. 7.

Etbic.

Cicero.

Vt tandem sexto postremus locus relinquatur. Primum omnium statuendus finis est, quo ratio omnis & officium erga pauperes referri debent. Id quod Arist. frequenter admonet. Ait enim Ethico. vij. quod ut in omni actu, ita & in consilio primum omnium est finis. Qui (ut lib. primo admonuerat) est in omni prudentia & prouidentia velut sagittatoris album, quo sagittam dirigit. Vnde lib. 5. colligit de fine aestimanda esse media. Nempe ut qualis sit finis, talia censeantur media. Quod Cicero in de inuentione significantius ait, finem primum ponendum esse, quo omne officium referatur. At qui in praesentiarum procul primum absit, ut petitiones iste, institutiones, ac rationes denique pauperum ex satietae & nausea profiscantur, quam fastidiosis quibusdam huius saeculi hominibus, suo aspectu & improbitate facere solent mendici. Nam quanuis praeter consultissimum æquissimumq; regium senatum, cui nulla nisi sancta intentio, ac zelus euangelicus inesse potuit, ut ad id quod tam improbe flagitabatur prouidenter responderet, illi etiam (quos ego nouerim) qui negotium hoc & prouinciam gerunt, animum habere nullatenus possunt, nisi misericordia ac pietate plenum, quo legitimis pauperibus ac fame pereuntibus melius consulant, horum nihilominus verba constitutionum certe nequeunt suspiciose scrupulum non iniicere, fuisse inter primos inuentores fortè aliquos (ne omnes in culpa & suspicione ponamus) qui non tam ut eleemosynas melius collocarent, quam ut mendicantium turbam & molestiam ex se excuterent, tam sanctas.

sancetas constitutiones molirentur. Profectò si miserum hunc statum & ordinem pauperum tot legibus circunseptum Ambrosius, aut certe Chrysostomus audiret: nempe ut non, nisi diligenter examinati, & confessi prius, & cum chirographo, & intra natales limites, ac denique domi clausi exiguam tandem stipem reciperent qua vix vitam transigere valent, nihil aliud, quam in odium huius miserandæ gentis leges has censeret inuentas. Et quando non odium nos dicamus, saltem neque pectus & viscera quibus patet nos pauperum Christus erga suos pauperes filios esse voluit, præ se ferunt. Quam putas inclyte ac celeberrime princeps cauendum est, ne nomen mendicorum pauperum odio sit Christianis, ne vilipendio id ludibrioque habeatur: illi plane ipsi qui illud modo despectui habent, in tremenda illa die (ut est in libro sapien.) perterriti timore horribilis & admirati in subitatione insperatae salutis nimirum quando diuitum pauperumq; fortes ac vices tam viderint diuerse mutatas: tunc gementes (inquit) præ angustia & intra se poenitentiam agentes his verbis confitentur. His sunt quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. Re vera quando non alio nomine pauperum ordo Christianis commendatus esset, ac nomen hoc honorificum atque amantissimum haberetur, quam quod Christus liberator noster (qui non nisi optimum mortaliū ordinem optasse credendus est) ordinem & conditionem pauperis elegit, abunde nomen hoc gloriosum fuisset. Adde quod apud eum nusquam sacræ scripturæ bene audiunt diuites. Cum tamen totum euangelium fauribus priuilegiis atq; commendationibus pauperum sit frequentissimum. Non q; principum status & ordo, aliorumq; præterea qui sunt in dignitate aliqua & potestate constituti, non sit euangelio probatissimus. Nam cum omnis potestas (doctore Paulo) à domino deo sit, in summo eos honore & pretio haberi æquissimum est. Attamen diuitiarum abundantiam

IN CAVSA

- Psal. 71.** tiam ac bonorum quæ à fortuna sunt, nusquam vti paupertate honore dignatus est Christus. Nam vt regium psalmistam prætermittamus, quin in hoc Christum vētūrum vbiq; prænunciat, vt iudicet pauperes populi & saluos faciat filios pauperū. Et ne patientia pauperum pereat, sed desiderium eorū exaudiat, Christus seruator noster exordium prædicationis inde sumpfit, vt illorum errorem contunderet, qui in bonis amplissimis ac fortunis felicitatem cōstituebant. Beati enim inquit pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Neque verò eos tantum spiritu pauperes appellat, qui religionis voto paupertatem libere profitentur, sed eos præterea, qui egestatem & mendicitatem æquo animo ferūt. Et de plebe eos pauperum leuavit, quos in principes orbis ac legis promulgatores instituit. Et ne vniuersa narrando fastidio fuerim, nūquām Christus cum diuitibus pauperes nisi in honorem pauperum, contulit. Adeo nascente ecclesia apostolis, à Christo ita institutis, in precio fuere pauperes, vt Iacobus scriptum reliquerit, quod si introierit in cōuentum nostrum vir aureum annulum habens, in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, non potius diuti, quām pauperi assurgamus. Alias inquit acceptatores essemus personarum. Instituebant enim apostoli Christianos, vt, præter eos qui in dignitate sunt cōstituti, de solo virtutis merito personas expenderemus, & æstimaremus. Vt pote cuius tantum respectus tunc habendus est, quando comædia huius mundi peracta, & his, quæ apparent, personis depositis, meritorū veritas reuelabitur. Quo sublimius pauperum sortem extollamus? Cūm Deus ex testimonio Dauid bonorum nostrorum non indigeret, mirabile excogitauit artem qua diutum egeret subsidio. Non enim satis dicere habuit, quod vni de his fratribus meis minimis fecisti, pro me fecisti, & ego retribuā (tametsi hoc verbo egregie eleemosynas cōmendas- set) sed, quod vni (inquit) ex his fratribus minimis meis fecisti, mihi fecisti. Ego ille. n. sum famelicus, quē cibastis: & quē vestistis, nudus: & quē hospitem exceperisti. Neq; id solum in hoc mundo, vbi diuina maiestas personam pauperis indure dignabatur: sed in sua illa die, qua maiestatem immensam cunctis cœlestium, terrestrium, & infernorum ordinibus manifeste.

PAV. DELIBERATIO.

manifeste demonstrabit, tunc (inquam) confiteri non deditgabitur, egenum se & mendicum apud nos egisse. Boni consule Princeps omnibus virtutum ornamenti cōsideratissime, si fuerim tantisper digressus, vt pauperum nomen celebrarem. Quod magnopere ad præsens institutum iudicauerim cōferre. ¶ Vt autem eo reuertamur, vnde digressi sumus, nec satis equidem fuerit, si id profine huic negotio præstitutatur, quod exactis vagabundis, eleemosynarum onere res publica subleuetur. Non enim huius tantummodo gratia tamam necessarium est operam dari, tot creari ministros, tamq; multis legibus instructos. Nam sunt in republica, qui per cōtractus minus licitos, & præterea qui fraude & dolo alienam substantiam multoq; ampliorem suffurantur: aduersus quos tamen nullæ huiusmodi machinæ intenduntur. Quin addiderim verò, quod nisi hac ratione eleemosynæ, quæ vagabundis auferuntur, legitimis pauperibus integræ accrescerent: atque adeo pauperum ordo vagabundis expurgatus in pretio maiori haberetur, amplioribusq; cumularetur eleemosynis, damnum potius, vagabundis depulsis, acciperent diutes, quam commodum. Etenim quantas nunc cumq; eleemosynas faciunt, iustum numerum earum non complent, quas facere tenentur. Si ergo nihil aliud res publica his constitutionibus exequitur, quam vt eleemosynæ minuantur, melius plane multo esset, si quos misericordia in pauperes emolliere non sufficit, non solum improbitas legitimorum mendicantium vincat, sed & simulatorum astutia decipiatur. ¶ At neque satis iustus officij huius finis est mores pauperum emendare. Nam & ipsi profecto, si facultas aderet, plura in nobis forte, quæ corrigerent, inuenirent. Et satis præterea est (vt paulo inferius latius dicturus sum) si diutum prælati tam sacerdotes, quam ecclesiastici hanc etiam erga pauperes curam susciperent. Tametsi non reprobauerim, si procuratores pauperum in temporalibus, quasi aliud agentes, eorum etiam mores respexerint. ¶ Finis ergo & scopus horum, quæ erga pauperes adornantur officia, is prælituendus est, vt veris pauperibus per eleemosynas melius consulatur: nempe vt temporalia subsidia ampliora recipiant: atque eleemosynæ non perum, solum non decrescant, sed hac ratione augeantur.

Ad quem

Ad quem proinde finem sunt omnia instituta punctim referenda:& quæ huic obtinendo magis conducunt, ea sunt potissimum eligenda & exequenda.

De obligatione qua Christiani ad eleemosynas tenentur.

Cap. 8.



Oc veluti scopo ante oculos posito,id deinceps præmonere est operæ pretium, q̄ eleemosynas quas in pauperum subsidiū conferunt, non tam ex propriis bonis elargiuntur diuites, quam vulgus sibi hominum persuasit. Sunt enim longè quam existimāt maiori obligatione pauperibus debitæ. Deus namq; omnium prouidentissimus, cui curæ est non solum iumentis foenum producere, sed foenum ipsum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, liliaq; agri ita pulchre vestire, vt nec Salomon in omni gloria sua ita fuerit vestitus, nunquam adeo humani generis fuisse negligens, vt inter ditissimos homines, pauperes perinde subsidio destitutos reliquisset, atque inter Christianos modo vsu venire comperimus. Quocirca in hoc diuites bonis affluere prouidit (nisi id in perniciem possidentium quandoq; permittat) non vt superfluerent, sed certe vt in pauperes & egentes, quod redundaret, efflueret. Neq; id ita absq; altissimo confilio disposuit, sed vt humanum genus arctiori necessitudine ac veluti charitatis nodo connecteret, videlicet vt veluti corporis membra essent: quæ ideo se suapte natura tam chare diligunt, vt alterum alterius vicaria opera sustineantur. Atque adeo cognoscerent eundem esse & diuitum & pauperum dominum atq; patrem. Quandoquidem diuites, pauperum dispensatores instituisset. Veluti in rebus natura constantibus, ob hoc Deus & natura coelestibus iationibus terram subiectam esse voluit, vt virtus eius inde ab illis dispensaretur. Vnde theologi hoc in testimoniū vnius Dei potissimum afferunt argumētum, quod orbis partes uniuersæ adeo se amabilissimo amicitiæ complexu inuicem continent, vt nisi ab eodem essent principio, tam se chare nunquā diligenter. Quo circa Ioanni apostolo, summo secundū Christum dilectionis magistro, certo certius est, q̄ qui habet substantiam huius mundi, & videt fratrem suum necesse habere, neutiquam

neutiquam esse potest in charitate. ¶ Vnde S. Tho. sapienter 22. q. 32. quidem colligit, non solum, vt extreme egentibus eleemosyna fiat, in præcepto esse, quod Ambrosius (vt est in decretis dist. 86.) admonet dicens. Pasce famæ morientem: si non pauperti occidisti: verum etiam addit doctor sanctus, q̄ homines ex his quæ pro suo cuiusque statu abundantius habent, tenētur eleemosynas facere. Collectio est manifesta. Si enim proximos secundum euangeliū, vti nos ipsos diligere tenemur, & qui habens substantiam huius mundi vidensq; fratrem suū necesse habere, testante apostolo, fratrem non diligit (quia nō est in charitate) huiusmodi homo legis reus est: atq; adeo mortaliter delinquit: cum hoc solo peccato amittatur charitas. Neq; potest quis eo colore tergiuersari, q̄ Ioannes loquatur quando frater est in extrema necessitate. Et enim si hanc tantum necessitatem insinuaret, non adiecisset, si quis habens substantiam huius mundi. Nam huiusmodi necessitati extremae is etiam qui non habet substantiam, id est bonorum abundantiam, tenetur quo potest modo succurrere. Diuites ergo homines extra extreamam necessitatem sub præcepto nonnunquam ad eleemosynas tenentur. ¶ Id quod diuino præterea testimonio corroboratur: quod est apud Luc. Vbi Luc. 3. dum Christus quosdam increpasset, q̄ nullum ferrent virtutisfructum, ac proinde tanquam sterilis arbor essent succidi & in ignem mittendi, percontantibus eorum nonnullis quæ se maxima ratione aduersus hoc periculum communirent, respondet, q̄ qui habet duas tunicas det vnam non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Ecce nulla hic mentio extremae necessitatis fit. Sed quo se quisq; à gelena ignis asserrat (quo tamen nemo, nisi propter peccatum mortale præcipitabitur) vt bona sua cum pauperibus communicet, iubetur. Neque magna copia diuitiarum requiritur. At, qui habet (inquit) duas tunicas, det vnam non habenti. Sane quod ad vitam abundat, vna tunica est: qui vero amplius habet, impartiri egentibus iubetur. Theologi scholastici ne diuites vehemēter perterrefacere videantur, multa comminiscuntur, antequam sub peccato mortali homines ad eleemosynas obligent. Nēpe quod habeant superfluū: quod pauperes grauiter indigeat: aliaque huiusmodi. Id quod neque ego modo constrictius & (quod

&(quod aiunt) scrupulosius definire intendo. Quia neque rem scholastice dispuo. At ubi sanctos patres attentus lego, existimo, q̄ neque in pauperibus tam grauem necessitatem, neq; in diuitibus tantam super statum redundantiam desiderabant, vt sub peccato mortali eleemosynas exigerent. Imo vix forte credebant esse hominem, si pauper ipse non esset, qui non aliquid haberet, quod erogare teneretur. Cui enim non superfluunt mille, centum forte super sunt: quod si non centum, saltem decem. In summa quis est qui non possit aliquam citra detrimentum domus suę opem ferre pauperibus?

Dist. 86. Vnde Ambro. super. Luc: quod est in can. in singulis, dist. 86. in singulis.

Misericordiae (inquit) communis est usus: & ideo commune preceptum est omnibus. Non miles excipitur: non agricola, vel Urbanus. Diues & pauper omnes in communi admonentur, vt conferant non habenti: misericordia. n. plenitudo virtutum est: & ideo omnibus est praeposta perfectae forma virtutis. Hactenus Ambr. Atqui quas nos miserorum penurias, & quibus affliguntur, calamitates, leues & stimamus, non possum non vehementer timere, futurum esse, vt in die iudicij eas fuisse constet, quibus succurrere tenebamur. Hinc certe idiomia illud sanctorum patrum dimanauit, quo auaritiam ac tenacitatem diuitum in pauperes nihil minus, quam furtum & rapinam appellant. Verba Hieronymi sunt in cano. hospita-

Dist. 42. lem. 42. distin. Aliena rapere conuincitur, qui ultra necessaria can. bōf- sibi retinere probatur. Et Ambro. super. Luc: inter exponen-

pitalem. dum parabolam illam diuitis, qui cogitans apud se quomodo fructus, non erogaret, sed congregaret, subito animam dedit, acerbiora adhuc adiicit verba. Quæ sunt in cano. sicut hi-

Dist. 47. d. 47. vbi postulans cum diuite, cur apud se retineat quod in can. sicut pauperes erogare deberet, responsum auari diuitiis hoc intro- bi.

ducit. Quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruo? cui hæc verba remittit. O impudens dictu: quid propria dicis? quæ ex quibus reconditis in hunc mundū detulisti? Proprium nemo dicat, quod est commune: quod plusquam sufficeret sumptui, etiam violenter obtentum est. Nunquid iniquus est Deus, vt nobis nō æqualiter distribuat vitæ subsidia? vt tu quidem es. affluens & abundans: aliis vero decesset & egerent: an idcirco magis: quia & tibi voluit benigni

benignitatis suę experimenta conferre: & alium per virtutem patientiæ coronare. Prudenter equidē, atq; (vt illi erant) sanctissimè considerabat Deum in commune bona hæc humano generi contulisse. Quæ proinde eo sunt postmodum iure gentiū distributa, vt tamen in necessitate, omnium esset cunctis communis usus. Ecquid mirum est si sancti ad hūc modum fuerint loquuti, cum si Chrisostomo concione de Lazaro secunda, fides adhibenda est, verbum illud Esaiæ. iiiij. diuino ore prolatū, Rapina pauperis est in domibus vestris de eleemosynis pauperum quæ apud diuites retinentur, fuerit interpretandum. Adeo vt quæ illic Esaias diuitum ornamenta, nempe lunulas, torques, monilia, armillas, & mitras, cæteraque id genus, quæ improprio modo commemorat, nō nisi de his, quæ pauperibus surripiunt, diuitibus superfluant. At verò quod super hæc omnia, non metantur, sed Augustinum de hac reverhementiū commouent, duo hæc sunt. Primum sententia illa dominica. Non potestis deo seruire & māmonæ. Ecquid Aug. fū- enim aliud hoc est, quām non potestis simul diuitiarum cu- per. peditati obsequi: & misericordiarum erga pauperes eam Math. habere curam, quam vobis dominus maximam habere precepit? Alterum verò est de quo in eiusdem loci interpretatione sanctissimus ille ac sapientissimus pater magnopere admiratur. Sanè quod cum sint tam multa peccata, crimina, & flagitia, de quibus homines sunt in æternū condēnandi, nullius tamē mentio in euangelio fiat, quod sit in die domini in causam æternæ dānationis obiciendum, quām esuriui, & nō dedistis mihi manducare: sitiui, & nō dedistis mihi bibere: nudus fui, & nō cooperuistis me, hospes deniq; & non me suscepistis. Hæc Aug. Res ergo, nisi nos auaricia excecatosteneret, nisi aspides essemus ad eloquia diuina obsurdescentes, manifestissima est, multò latius patere eleemosynarum præceptū, multosq; alios casus comprehendere, quam sibi homines falso persuaserint. Alias quomodo in vniuersum omnes in illa die neglectæ misericordiae sententia complicaret? At quia nec locus est hic, neq; subinde arsimus rem hanc ad vnguem exigere, hæc satis sint: si modo extrellum hoc verbum adiecerim. Faciamus dēū, omnium tā diuitum quam pauperum patrem esse: cui, veluti patrifamilias, curę est omnibus consulere:

C ac pro-

ac prouidere. Necessario colligitur, aut Deum parum fuisse prouidum, qui inopes & mendicos præsidio destitutos reliqueris, aut diuites perfidiæ & inhumanitatis redarguendos esse, quod cum eorū fidei Deus pauperes commiserit, potestatiq[ue] permiserit, bona, quæ in sua fide posita sunt, sibi vendicant, deposita negant, fidem non seruant.

De medicorum paupertate examinanda. Cap. 9.



Duo pauperū ex a est in deliberatione positum. Duo in pauperibus examinandum da huiusmodi articuli designant. Primum eorum paupermina. **Conside-** **tas & inopia**: sint ne veri, an ficti pauperes. Deinde mores & vita. Primum in articulo tertio, alterum in quarto insinuatur. Quod ad primum attinet membrum, nihil aliud quam æquitas & operæ pretium est fictos simulatosque mendicos de medio pauperum tollere. Id quod in prima conclusione abundè commostratum est. At verò primum omnium consideratione hic dignum est, quod aliud est misericordes esse homines in pauperes, aliud verò iustos esse aduersus prauos & iniquos. Misericordiam Deus vniuersis hominibus præcepit: malefactorum autem vindictam paucis iustitiæ ministris commisit. **Rom. 13.** Qui teste apostolo hac de causa gladium portant, ut vindices sint in iram eis qui malè agunt. ¶ Ob idque animaduertendum est, an satis fortè esset, ut qui aliis mortalium ordinibus præfetti sunt, qui iustitiam administrent, mores emendent, peccata vlciscantur, vagabudos etiam exquirant, puniant ac profligare current. Aut fortè quod senatores, & rectores vrbi singulis ebdomadibus, aut mensibus conuentum mendicorum facerent: & quos validos esse conuincerent, poena plecterent. Atque vel operi laborique addicerent, aut ex vrbe relegarent. Nam plures prætores executores aduersus pauperes, quam aduersus diuites creare: quorum nullum aliud negotium sit, quam pauperes explorare, ius vocare, discutere, & exigere, non tam ex misericordia in veros pauperes, quam ex odio esse totius ordinis

ordinis pauperum iudicare quispiam fortè posset. Id vel maximè q[ue] prætores, diuitū crima nō tanta solertia scrutatur: sed satis officio suo faciūt, si qui fuerint ad se delati, lege correxerint. Nō ergo vigilatiori indagatiōe opus est aduersus pauperes. ¶ Mox cōsiderare oportet, q[ue] miserū hoc, abiectumque Confide- & imbecille genus hominum, nō est, vt suas possint causas de ratio. 2. fendere. Nam vt paulò antè ex Ecclesi. ciuitauimus, diues in- iustè egit, & fremet: pauper autem Iesus tacebit, & Ecclesia- Ecclesia- stes. Sapientia (inquit) pauperis contempta est: & verba eius fles. 9. nō sunt audita. Vnde diues vbi de criminе aliquo, aut debito postulatur, aut iudicio, aut armis, aut alio se quoquis modo tuetur: mendicus verò, etiā si per calūniam accusetur, nullo se valet clypeo protegere: sed perpeti se iniuriam necesse est. Ade- de, quod si diuiti partem bonorum iniuria ademeris, partem retinet vnde viuat: si verò calamitosum mendicum, ne mendi- cet prohibeas, miserū enecas. Hac enim de causa tam multis in locis Deus se patrē orphanorū, viduarum, & pauperū pro- fitetur. Hāc ob rē ecclesiæ patres tantā prælatis pauperū curā iniungūt: cuius testimonia citare immensus esset labor. Nēpe quod pauperi à potente nulla esse potest defensio. Deinde cū genus istud miserorū inuidiis sit & emulationibus frequēti- simū, vix, dum de paupertate alicuius inquiritur, verum testi- monium inuenias. Sed alij aliis calūniantur: qua vñusquisq[ue] fraude satagit, vt quod aliis aufertur, sibi accrescat. Quibus Prepositi de causis si quis huiusmodi inquisitionibus & examini dele- pauperū. gātur, homines esse magnopere oportet, nō cuiusq[ue], sed præci- pui ordinis & existimationis, ad lenitatē misericordiae propē- si magis, quam ad rigorē iustitiæ, qui pauperibus suffragentur citius, quam refragentur. Nā si officiales executores deplebe in- stituantur, qui paupertatem, fortè, quam in aliis requirūt, intus ipsi sub palio tegunt, facile possunt iustitiam pretio vendere, vt eos penitus validos esse accusent, qui conferre eis nihil valuerint. ¶ Est præterea in hac re non prætereūdum, quod Conside- vt sit quisq[ue] legitimus pauper, non est necessarium esse infir- ratio. mum. Sat enim est, si sit ætate prouectus, aut debilis, aut quo- uis alio impedimento teneatur, ne tantos possit subire labo- res, vt sibi & suis congruenter sufficiat. Id quod in lege illa.

C 2 de men-

de mendicantibus validis prouidenter scribitur. Cuius titulus non est, de mendicātibus sanis, sed, de mendicantibus validis. Non ergo qui homo sanus est, cōtinuò à mendicatione prohibetur: sed qui est validus. Neque id silētio præterit lex illa, quam appellant ordinamenti. Ait enim quod si sint homines qui defacie manifestè possint iudicari esse validi, operi & labori addicantur. Ergo ubi facies & vultus eos non prodit, nō aliam discussionem, aut perscrutationē requirit lex. ¶ Vnde hoc alta mente reponendum est documētum, quod redubia pro pauperibus potius in fauorem paupertatis, quā aduersus eos pronunciandum est. Nam multò esset minus malū & incōmodum, viginti malos & vagabūdos permittere, ne quatuor legitimi pauperes inter eos excluderentur, quā quatuor iure quod habent mendicandi excludere, vt viginti validi expellantur. Hac enim etiā ratione Zelum nimiū seruorū Zizania festinantium euellere sapienter repressit paterfamilias, vt

est apud Matth. ne fortè colligentes Zizania, eradicarent simul cū eis & triticum. ¶ Huc etiā pertinet quod sunt permulti qui quilibet opera & labores quandoq; ferre possint, non tamē iugiter, aut frequenter. Est enim qui potest dies aliquot in mēse, aut in ebdomada in opere durare: nō tamen per totū mēsem, aut ebdomadā. Et est qui dimidiatū diē laborare pōt nō tamen integrū elaborare. Et esset per quā molestissimum, si quoties miserum hominem vires deficerent, opus haberet diputatos adire. Ad hæc. Sunt præterea qui etiā si validi sint, ius nihilominus habent mēdicandi. Sanè qui opera nō inueniunt, aut patronos qui se cōducant. Quos in propria patria non inueniunt, quocunq; quæsitū exire possunt. Vnde quæcunq; profectō regni ciuitas tenetur tā incolas, quā aduenas, aut alere, aut mēdicare permittere, quandiu non eis opera assignauerit, aut patronus quibus suas possent operas locare. Hoc enim ad regni gubernationē spectat, vt qui in vna ciuitate viuere nō possunt, humaniter suscipiātur in alia. Quam ob rem mercenarij illi in euāgeliō de ociositate reprehensi legiti- mē cōpurgati sunt, dicētes, quia nemo nos cōduxit. ¶ Ad hæc sunt & nōnulli bono sanguine nati, qui nec artē didicere moe chanicam, nec sunt fortè negociationi apti, neque tenētur quidem

Documē-
tumMath. 13.
Confide-
ratio. 4.Confide-
ratio. 5.

quidem ad vilia se seruitia summittere. Sed ius habent pauperum stipem à quocunque recipere: ac perinde ampliorem, quām alij inferioris classis. ¶ Atque hæc quidem secundum rigorem iuris concedimus. Nam si de hac reprisco illos patres, quos Deus velut ecclesiæ fundamentum subiecit, consulamus, longè aliter loquendum esset de hoc pauperum examine. Validissimum namque argumentum quo ista pauperum inquisitio corroboratur, inde sumitur, quod sunt non pauci, qui in fraudem & perticiem reipublicæ multis commiscuntur artes, quibus se infirmos, laesos, truncos, & mancos fingunt, & simulant. Quo non potest in re publica maior esse dolus. His ego verò qui hoc tam magno argumen- to vtuntur, respondere nunquam audebo, ad magnum illum pauperum patronum Chrisostomum, iuquā remitto. Cuius verba homilia. 37. ad populum (præter alia complura quæ in hanc sententiam aliis in locis identidem confert) omnes oro atque obsecro, vt neminem (prolixa quidem, aurea tamen) audire pigeat. Postquam enim cum diuitibus vehementer postulauerat, vt vestibus, quas rodit tinea & vermis absunit, nudos contegant, responsum diuitum in medium infert, dicentium. Simulat pauper tremorem & infirmitatem. Attende maxime Princeps, quemadmodum etiam tum tempore Chrisostomi has diuites eleemosynarum excusationes prætexebant, hæc in pauperes maledicta iactabant. Sed accipe quibus Chrisostomus verbis in eos qui ista proferrent, inuehitur. Non times (inquit) ne fulmen ab hoc verbo cœlitus accēsum in te feratur. Disrumpor enim ab indignatione, parcite. Tu quidem ventre tumens & pin- guis, & ad profundam potum producens vesperam, & molibus caleſens stragulis, nonte dignum dare poenas censes? cum tam inique Dei muneribus utaris (neque enim vt ine- briemur est vinum: nec vt crapulemur, esca fuit facta: nec vt ventrem disrumpamus, cibis) pauperem vero miserum, nihilo melius mortuo dispositum exquisitas exigis rationes? Nec Christi times tribunal illud horrendum & terrible. Nam & si simulat, ex necessitate simulat, & egestate, propter sauitiam & inhumanitatem tuam, quæ talibus

C 3 per-

personis supplicantibus ad misericordiam nō flectitur. Quis enim tam miser & ærumnosus, vt nulla premente necessitate, pro solo pane velit ita deturpari et plangere, talemq; poenam sustinere? Igitur illius simulatio fertur inhumanitatis tuæ præco. Quoniam enim supplicans & deprecans, & miserabilia fundens verba, gemens & lachrymans, totum circumiens diem, neque necessarium inueniebat alimento, forte ad hanc artem excogitauit, non sibi tantum, quantum tibi dedecoris & accusationis inferentem. Nam ille quidem misericordiam inuenire dignus est, quod in tantam deuenit necessitatem: nos autem innumeris digni suppliciis, quod pauperes talia pati cogimus. Si namque defaciili flecteremus, nunquam ille talia subire maluisset. Et quid dico nuditatem & tremorem? Hoc enim horribilis dicam, quod & liberos immaturam agentes ætatem quidam exæcates sunt coacti, vt nostram penetrarent insensatam duritiam. Postquam enim videntes, nudique circumeuntes, nec ab ætate, nec ab ærumna crudeles flectere potuerunt, histot malis aliam grauiorem adiecere tragœdiam, vt famem soluerent, leuius esse putantes hoc communi lumine priuari, & splendore omnibus concessio carere, quam cum fame continuam habere pugnam, & miserrimam mortem sustinere. Quoniam enim paupertatis misereri non dicitis, sed gaudetis calamitatibus, vestram implant improbam libidinem, & sibi & vobis gehenæ flammarum acriorem accidentes. Hæc Chrisost. plurimaque alia huius emphasis verba, non minus Christiane quam eleganter fulminat aduersus eos qui de crudelitate reprehendentes pauperes, quod in proprias personas contra naturam peccent, propria corpora vitiando, non ad se reuertuntur, vt animaduertant, suam ipsorum immanitatem & feritatem, qui miserorum precibus non flectuntur, in causa esse, vt tragicas illas artes in se exerceant. Nam re vera si diuites congruent pauperibus subuenirent, nunquam illi diuitiarum causa nuditates illas & cicatrices perferrent. At miseram stipem non ante extorquere valent, quam illas comminiscantur tragedias. Hisce splendidissime Domine non id contendeo, vt vagabundi

vagabundi & sycophantæ non corrigantur, sed vt quemadmodum alij cuiuslibet ordinis, aut conditionis corrigan-
tur. Sunt enim & inter opifices & inter causidicos & scribas,
& inter clericos & inter religiosos, & inter magnates, etiam
& prælatos, qui suo quisque ordine & gradu fragiles sunt, cri-
minosi, flagitosi, atque adeo pane quo vescuntur indigni.
Aduersus quos tamen non tam multi perscrutatores & exe-
cutores intenduntur. Cribro enim purganda sunt crimina,
non in cerniculo setaceo. Canon est. 6. quæstio. i. quod si o^o Consid-
ernia in hoc sæculo vindicata essent, locum diuina non ha-
berent. ¶ Absit ut cuique mortalium ordini notam ego ali-
quam inurere velim: aut quempiam traducere. Quod autem
patet & manifestum est, id in genere citra iniuriam proferre
possum. Quot ergo sunt in republica, aut opifices, aut mini-
stri publici qui per fraudem multo plura surripiunt, quam
validorum vniuersa turba mendicantium: atque ea quidem
laute & splendide dispendunt. Et possunt homines horum
fraudes & rapinas æquo animo tolerare. Quod autem simu-
latus pauper exiguum & miserrimum obolum aut dipon-
dium, non alia sycophantia, quam nuditatem, tremorem, fa-
mē & infirmitatem circuferēs surripiat, id nulla ratione ad-
duci possunt, vt ferant: sed luce eos priuandos esse proclaimāt.
Ecquisvnquam fuit hominum, qui propter fallacem pseudo
pauperum turbam aliquid substantiæ detrimētum fuerit ex-
pertus. Mitto eos qui cōtractibus ac negotiationibus minus
licitis in rēsuam aliena cōuertunt. Sunt enim forte nō in par-
uo numero, quorū vel vnuus multo ampliorem substantiam
iniquo māmona confecit, quam validi mendicantes vniuersi
totius regni. Et hi quidem quia diuites validi sunt, sustinen-
tur: alios vero quia sunt mendicantes validi, neutquam pati
possimus. Cum tamen apud Christianos valere nihilominus
deberet horum miseria & inopia, quam illorum opes & poten-
tia, vt saltem inter illos, his etiam parceremus. ¶ Adde quod
quāuis sint aliqui ociosi ac perditū homines, qui propter in-
ertiā & socordiam in paupertatē venerint, & alij forte qui se
pauperes simulant, sunt nihilominus per quam multi quos
diuites vere pauperes effecerunt. Venatio namq; leonis (vt in
C. 4. ecclæ-

E cle. 13. ecclesiastico legimus)onager in eremo: sic & pascua diuitum sunt pauperes. Quo circa non adeo res esset incongrua, si horum iniurias, illorum tolerantia compensaremus. Nescio an pauperum miseratio longius me quam constitueram aduersus diuites inuexerit. At nihil nisi quod vel in sacro eloquio scriptum est, aut ore omnium versatur: dixisse me arbitror. ¶ Neque silenter dissimulare possum quod cum officium aliquod publicum aut (quod deterius est) beneficium conferatur, nulla prorsus de personæ dignitate & meritis ratio habeatur: quam tamen Christus beneficiorum institutor maximam haberi voluit. Et tamen ut mendico panem sit integrum postulare, tanta opus sit inquisitione & probatione. ¶ Postremum omnium vereor ut neque diligentia hæc ratioq; examinandi exigendiq; validos pauperes intentum omnino finem exequatur. Hunc (inquam) ne latrones & perperi sint homines in republica. Nam qui vrbē excedunt non recta ad patrum solum reuertuntur: sed per villas & pagos oberrant: ut qui minutatim per simulatam mendicationem mitius furabantur, ampliora furta & latrocinia exerceant. Neq; verò possunt omnes patibili poenas dare. Quin verò quemadmodum in aliis vitiorum generibus minora mala, quibus maiora euentur, permittuntur (dicente Augustino q; si meretrices tollas, omnia adulteriis replebuntur) ita forte quanuis ex mendicantibus validis nonnulli procreentur latrones: atque adeo sit in eos certa ratione & modo animaduertendum, est in rem etiam forte & bonum publicum, si non nihil de rigore in hac parte remittatur. Ne per extreum qui validi sunt mendicantes, validissimi latrones fiant.

De vita pauperum expendenda. Cap. 10.

Alterum quod in pauperibus exigitur antequam sit eis mendicare licitum, ad vitam eorum pertinet & mores. Sane vtrum sint concubinarij, aliaeve contagione infecti, sint ne præterea stantis temporibus confessi; aliaq; id genus obseruent, quæ de Christianis hominibus requiruntur. Et quatum ad hanc

ad hanc attinet curam, nemo esse potest qui zelū non probet. Nullus enim est mortalium ordo cui fraternalm non debeamus correptionem. At vero sancti patres, quotquot de elemosyna scripsierunt, nusquam cum misericordia, quæ pauperibus debetur, tantam iustitiā voluerunt esse coniunctam. Et enim elemosyna quod nomē græcum est) idem pollet quod misericordia. Materia verò & obiectum, quod huic misericordiæ corporali subiicitur: nihil aliud est quā miseria & inopia pauperis: cuius subinde officium est, pascere esurientem, nudum vestire, & hospitem tecto donare. Et ideo, ut hanc pauperibus misericordiam exhibeamus, nihil aliud in paupere sancti explorant, quam q; inopes sint & mendici. Misericordia verò spiritualis seorsum polita est in correptione fratris. Atq; adeo iustitia malefactores cohibendi (ut paulò ante dicebamus) ad alios iustitiae ministros spectat. Aliud n. est misericordem esse, aliud verò malefactorum vindicem. ¶ Audi precor Christianissime princeps quid de hac re Chrisostomus senserit, cùm alibi saepe, tum maximè concione secunda de mendicō Lazaro. Nam & sua etiam ætate istas exactiones, & correptiones fraternalis diuites moliebantur in pauperes, quibus suam auaritiam excusarent. Aduersus quos hæc exaggerat verba, tanto certè meliora, quanto longiora. Abraham (inquit) sciens non exutiebat quales essent prætereuntes, nec vnde venirent, quemadmodū nos nunc facimus, sed sine delectu prætereuntes excipiebat omnes. Nam eum qui præstat humanitatem non oportet exposcere vitæ rationem, sed inopie mederi, necessitatique suppeditare. Vnicum habet patrocinium pauper, quod eget quodq; in necessitate constitutus est, ne quid ab illo postules amplius. Sed etiam si fuerit omniū improbis simus & eguerit necessario viatu, sedemus illius famenī. Ita & Christus, præcepit. Estote, inquit, similes patri vestro qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Portus est in necessitate constitutorum homo misericors. Portus autem omnes qui in naufragiū inciderint, excipit liberatq; siue mali fuerint siue boni. Deniq; quicunq; fuerint qui periclitantur, in sinus ille suos excipit. Tu proinde si videris hominem qui in egestatis naufragiū inciderit, ne iudica, ne vitæ gesta examina, sed medere misericordia.

riæ. Quid ipse tibi negotium accersis? liberauit te Deus omni tali sollicitudine & curiositate. Quā multa pleriq; fuerāt dictū, quāq; difficiles erant futuri, si Deus præcepisset, vt prius accurate vitam factāq; singulorū disquireremus, ac tum demū conferremus eleemosynam? Nunc hac omni curiositate nos liberauit. Cur ergo curas supuacaneas nobis accersimus? Aliud est iudex, aliud eleemosynæ largitor. Ideo vocatur eleemosyna, quod eam & indignis damus. Vnde & Paulus dixit. Quod bonum est facite erga omnes, sed maximè erga domesticos fidei. Quod si indignos curiosè discutiamus disquiramusq; ne digni quidem facile in nos incident. Quod si indignis quoq; præstiterimus beneficium, nimirum & digni, quiq; omnium illorum malitiam virtute pensent, venient in manus nostras: sicut euenit beato Abrahæ, cui minimè curioso quales essent qui præteribant, contigit tandem vt & angelos exciperet hospitio. Hunc igitur & nos imitemur, simulq; cū hoc nepotem illius Iob. Quandoquidē & hic progenitoris sui magnanimitatem summa cum diligentia est imitatus. Eoq; dicebat, ostium meum iugiter patebat cuiuis aduenienti. Nō sic huic patebat, vt alteri esset occlusum, sed indifferenter apertum erat omnibus. Hoc exemplum & nos imitemur, nihil exquirentes vltra quam oportet. Nam ad hoc vt pauper dignus habeatur eleemosyna, satis est egestas. Quod si quis cum hac cōmendatione nos adierit, ne quid amplius curiosè scrutemur: nec enim moribus demus, sed homini, nec illius ob virtutem nos eius misereat, sed ob calamitatem, quo nimirum & ipsi copiosam à domino misericordiam nobis conciliemus, ipsiq; digni simus in quos ille conferat suam benignitatem. Nam si cū conseruis nostris ceperimus exquirere dignitatem moroseq; vestigare, idē & Deus facturus est in nobis, duinq; studemus à conseruis reposcere vitæ causas, ipsi superni numinis benignitatem amitemus. In quo n. inquit iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Haec tenus Chrys. Quod si diuus hic de hoc fortè in suspicionem vocatur quod misericordia (vt sanctissimus ille erat) flāmatus plus nimio pauperibus indulgeret. Cuius proinde scripta, nō aliter quā preciosa vestis genus pauperum honoris titulis splendescit. Ambrosium appellemus, si ei fortè astipuletur. Sanè qui lib. Nabuthi. c. 8. vbi loquens de modo faciendæ eleemo.

Gala.6.

Iob ne-
pos Abra
hae.

Iob.13.

Ambro.

eleemosynæ, sic ait. (Non requiras in pauperibus quis vnusquisq; mereatur. Misericordia non de meritis iudicare cōsuevit, sed necessitatibus subuenire, iuuare pauperem, non examinare iustitiam. Scriptum est enim, Beatus qui intelligit super egenū & pauperem. Vbi nulla sit boni & mali discrepancia. Sed arbitror Augustini testimoniū de hac re desiderari: sanè cuius ingenī est res pressius controversando differere. Subij ciā ergo & grauissimi patris testimonium, quod est in enarratione psalmi. 102. super versum. Faciens misericordias dominus. Vbi edocet deum nō facere misericordiam nisi iis qui & ipsi sunt misericordes, iuxta verbum domini. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quæ autem mensura sit misericordiæ, subdit, vt ne quasi (inquiens) in amicum sit, & non sit in inimicum: quia dictum est. Diligite inimicos vestros: bene facite his qui vos oderunt & Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Inimici autem, si bonorum maximè sunt inimici, boni esse non possunt. Si ergo misericordia erga inimicos est, non est misericordiæ officium inter bonum malumq; discernere. Sicuti misericors Deus super bonos & malos oriri facit solem suum. Atque adeo pater misericordiarum Christus nullum misericordiæ modum ponit: sed omni (inquit) petenti te tribue. Obiicit tamen Augustinus documētum illud Ecclesiastici. 12. quod prima facie cum hac sententia pugnare videtur: vbi legimus. Si bene feceris, scito cui feceris. Bene fac iusto & inuenies retributionē: quoniam altissimus odio habet peccatores, & misertus est poenitentibus. Tu ergo da misericordiæ, & ne succipias peccatorem: da bono, & non receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio. Vide quanta congreginet accumuletq; verba sapiens ille, vt non nisi erga iustos sumus benefici. Quæ tamen Augustinus facilè diluit. Nam contraria esse nō possunt euangeli. Vtrunq; enim (inquit) complex: &, non suscipias peccatorem, &, omni petenti & da, si quando peccator est qui repetit, non des tanquā peccatori: sed tanquā inopi. Si intēdas inopiam miseriamq; pauperis leuare: non fouere peccatū. Haec tenus Augu. Igitur quod sapiens in Ecclesiastico admonitos nos esse contendit, hoc duntaxat est, vt quādo pauper de eleemosynarum abundantia ansam & potestatē peccandi natus

Etus reprobis fit: neq; aliud ei collocata beneficia, quā vitiorum semina sunt & fomenta, tunc correptionis gratia substrahenda sunt huiusmodi pauperi. Id quod ad Vincentium Donatistam scribit August. & habetur in canone, non o
Can. non mnis. 5. qō. 5. Vtilius enim inquit esurienti panis tollitur: si de omnis. 5. cibo securus iustitiam negligat, quām esurienti panis franga-
q. 5. tur, vt iustitiae seductus acquiescat. Et id quidem intelligito quando est compertissimum eleemosynas in damnum pauperis vergere. Alias scrutatores nos esse pauperum non licet.

Augu. de Quin verò alterum eius institutum obseruandum nobis est: quinque quod in lib. de quinq; hæresibus extat. Vbi pòst commendationem hospitalitatis Abrahæ & Loth: qui quoscūq; sine discrimine hospitio suscipientes, angelos meriti sunt habere hospites, subiicit. Discite Christiani sine discretione hospites suscipere, ne forte cui domum clauseritis, cui humanitatem negaueritis, ipse sit Deus. Quod & in reliquis pietatis officiis eadem est ratione seruandum. ¶ Ergo quod ex istis tam multis

Epilog. tamq; manifestis sanctorum testimoniiis colligitur (vt omnia sub uno aspectu ponamus) sic habet. Officium misericordiæ non est inter bonos & malos discretionem facere: id enim iustitiae partibus & ministris reseruatur. Misericordia verò in hoc posita est, vniuersis, inquam, hominum miseriis sine ulla discrepantia præsto esse, & sucsum ire. Quo circa procēmio illi, quod in capite huiusmodi articulorū, Christianè quidem religiosè, ac sapienter superscribitur, quo Christi seruatoris nostri erga nos immensus amor: benignitas & clementia meritò commendatur, quo sanctissimè commonemur, vt quæ nobis ille eximia charitatis officia præstít, ei nos ipsi in eius pauperibus rependamus, illi inquam exordio animaduertendum est, an congruenter satis ac decore subiiciatur, vt quia gabundi pseudoq; pauperes fuerint, vrbe eliminentur, mendicis si aduenæ sunt, nihil aliud quam trasitus concedatur, incolarum mendicorum vita & mores diligenter expēdātur, qui hæc solerter exequentur, officiales & prætores sunto. An verò aptius sub illo procēmio subscriberet, vt quotquot Christo nomina dedimus, & fidem obstrinximus, promiscue in omnes sine discerniculo clementes essemus & benigni. Nam

Tobi. 4. hoc Abraham, quo se Christus patre dignatur faciebat.

Ita eius

Ita eius eleemosynarius Tobias filium instituebat: dicens. Noli auertere faciem tuam ab ullo paupere, ita n. fiet, vt nec à te auertatur facies domini. De hoc seruus eius Iob gloriatur, q; Iob. 31. nemini unquam pauperum quod volebat negauerit. Portu sancti eius comparant misericordē, qui naufragos omnes sine discrimine excipit & liberat. Id ipsum magister ipse prædicat vbi ait. Omni petenti te tribue. Hac ratione Christus quando Luc. 6. ingentem illam multitudinem in eremo pauit: nullos vagabudos exceptit, nullum inter bonos & malos fecit diuortium. Hoc misericordiæ nomen designat, vt indignis beneficiū exhibeamus: nam quod dignis confertur, iustitia est. Inde Deus cordis. misericors est quod solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Hoc iustitiae pharisæorum Matt. 6. nostram Christus præstare voluit, vt non tantum amicos, scuti illi, sed etiam inimicos diligeremus. In hoc demum ineffabilem eius in nos misericordiam commēdat Apostolus, quod cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. Re Roma. 5. vera qui has pauperum constitutiones comminiscuntur sanctam habere possunt intentionem, iusti esse possunt (nisi in hoc sint forte nimium iusti, q; prætorum officium in malefactors usurpat) synceram tamen suisq; numeris absolutam misericordiam minimè se exhibere credant. Quippe quæ inter dignos & indignos non discernit. Est equidem in ordine charitatis positum, vt (vbi reliqua paria sint) probos, reprobis: deterioribusq; meliores in conferendis eleemosynis anteponamus: sed tamen neq; misericordis hominis est tam anxie merita perscrutari, neq; esse equidem potest, non solum peccatoribus nihil dare, verum etiam prohibere ne ab aliis petant, qui forsan quod tu negas, concederent. Verbum nimirum illud forsan Christi apud Mattheum edocti. In quancunque domum intraueritis, dicite pax huic domui: & si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. Pari. n. modo in eleemosynarum ratione, tametsi pauper non sit forte recipere meritus, conferentem nihilominus præmium manet apud Deum. ¶ At quod ad æquitatem & iustitiam articuli quarti attingit, de rigore illo cogendi pauperes ad confessionem, fateri me mallem ignorantiam meam, quam omnino consentire.

Enim

Enim verò vt sunt pauperes ad necessarium hoc sacramentū instruendi & admonendi, ita in has miseros angustias coniice re non est operæ pretium, vt nisi confiteantur, nullatenus sit eis licitum mendicare. ¶ Primum confessionis sacramentum sub pœna capitis edicere, præter quam q̄ esset lex intolerabilis, odium profecto in sanctissimum sacramentum concitaret: mendicos autem mendicitate interdicere, pœna capitis est: vtpote quibus nullum aliud est vitæ præfidiū: non ergo licet eos sub hac pœna ad confessionem compellere. Hoc cum diuitibus expostulare cupio, de hoc eos, nisi ægreferant, conuenio. Si esset eis confessio hac lege promulgata, vt post pascha nemini panem sumere, nisi prius confessio vnquam liceret, sed fame potius pereundum, an reclamarent. Cogitare aliud non valeo. Cur ergo eam legem pauperi præscribunt? ¶ Sunt (aiūt) inter illos, qui integrum decēnium non confitentur. Sunt itidem & inter diuites huiusmodi complures: qui non tam acerbè ad confessionem perstringuntur. At diuites aliena non pe-tunt: ego verò pauperibus bona mea elargiri nolo, nisi confessis. Hic punctum rei huius occulitur: in hac semper isti salebra h̄erent: hic eorum attentionem desidero. Vt enim interim disputare prætermittam, an egenus & pauper, quantū tu, tantum ipse iuris habeat ad bona tua) nam sancti patres sunt qui ita censent: nos verò id astrarere veremur) hoc saltem in confesso est, euidētiusq; ac certius, quam vt ab aliquo possit inficias iri. Nempe q̄ æquum ius est cuiq; pauperi in quavis necessitate, etiam citra grauem, petendi eleemosynā, ac est illud quod quisq; habet in propria bona. Quin etiam fortè amplius: cum in maiori sit necessitate. Quò fit vt nemo cuiuscunq; sit auctoritatis potest hoc iure pauperes priuare, nisi propter eam culpam, de qua posset diuites etiam bonis propriis mulctare. Quin vero dicere audereim, propter quam posset diuites, vt fame perirent, condemnare. Nam qui iure postulandi pauperē excludit ad extremam cum adigit famem. Si ergo iustissimus quisq; nemini victum, nisi probato viro & confessō (veluti sacrosanctum sacramentum eucharistiæ) ministrare cogitat, nō cōtinuò ius facultatemq; misero adimat, quò minus circumire possit, si quem fortè legibus misericordia melius instructū inueniat, qui panem porrigat. ¶ Ad hanc (quod omnium plurimum

rimū cauendum est) si pauperes (indoctum vulgus) tā acriter ad cōfessionem coérceantur, dubitas ne optime Princeps, quin vſu venire possit, vt falsò fictēq; multi confiteantur, sacramentum, ne fame extrangulentur, contaminantes? Revera quando sancta synodus sacramentum confessionis (quod in iure diuino erat) quotannis edixit, præuidebant sancti patres. si maiores pœnas cumulassent, pauciores fortè fore qui præceptum transgrederentur, nihilominus tamen veriti ne timore grauissimæ pœnæ sacrilegus aliquis esset in sacramentum fictē confitendo, satis duxerunt transgressorem ingressu ecclesiæ & ecclesiastica sepultura interdicere. Quæ quidē quanuis Christianis pro acerbiori pœna, quā extrema fames habēda esset, tamen non tam homines deterret, quam pœna temporalis, vt eius metu fictē quis confiteatur. Vnde illa vna ex sexdecim qualitatibus & conditionibus quæ sacramento cōfessionis circumstare debet, nempe q̄ sit libera, intelligere nequeo, quomodo stare simul potest cum tanto rigore cogendi homines ad confessionem. ¶ Quantum ergo ad correptionē pauperum pertinet, sanctissime inter hos articulos institutū ptio pau-perum paruuli patrū cura emācipati patronis deputentur, aut artibus & opificiis addicantur. Pauperes deinde nonnunquā, vt conciones publicas audiant, compellantur: vbi religionem & virtutem doceri possint, admoneriq; & exhortari. Quibus optimū esset viros aliquos probatae vitæ præficere, qui eorum curam & rationē haberent, Id quod plane esset corporalibus spiritualem etiam misericordiam adhibere. Exemplo Dei, qui quorū corporalem vitam prouidenter sustentat, spiritualem quoq; legibus, consiliis, & exemplis, instituit, admonet, ad bonumq; & honestū inducit. ¶ Hoc præterea hic apprimē admonere necessarium arbitror de ratione perquirendæ explora randæq; vitæ pauperum: eorum vel maximè, qui publicè non non profundit mendicitatem professi. Quibus, vt video, eleemosynæ quā dentur. plurimo venduntur: tantum abest, vt gratis fiant. Nam primū cum hispani, quibus honor, quam vita, pluris est, extrema malitia perpeti famem, quam de mendicitate traduci, nulla tamē in pauperibus conscribendis habetur ratio secreti. Sed nobiles quibus negotium datum est, longo famulatio comitati publicè

publicè pauperes disquirunt. Quorum profectò multi malleū eleemosynis carere, quā tāti emere. Est enim sicubi vsquā gentium, in Hispania præcipue obseruandus modus ille euangelicus eleemosynarum, vt nesciat sinistra quid faciat dextera. Id quod Ambro. Nicolaus, Chrysost. & alij sancti patres obseruātissimè faciebant. ¶ At quod peius multò est, ne dicam magis iniurium, antequam miserrimæ eleemosynæ impendātur occulta nonnunquam crima præter iuris ordinē exquiruntur. In relectione quā de ratione tegendi & detegendi secretū ædidiimus, pro virili nostra tractauimus, nullū ius esse perquirendi perscrutandiq; crima, nisi quæ aut fama proclamat, aut indicia vtcunque produnt. Neq; semper diuitum peccata, his etiam præeuntibus, & pro clamantibus, vestigantur. Et tamen pauperum maiori multo cura ac diligentia secreta peccata detegūtur, quām in seriae subleuentur. Miseranda gentis conditio est, si vt obolum tandem suscipiant, tantū subire habet periculum famæ. Cū tamen in hac re meditatione opus esset, quod calamitosi homines ærumnis & miseriis afflitti sæpiissime leuandi animi gratia peccata admittunt, quibus diuites ex deliciis & fortunarum affluentia multò maiora committunt. Quod si meditatio hæc non satis est, vt miseris pauperibus venia concedatur, quas nam ex eis erratorum poenas acerbiores in hoc sæculo exigamus, quam suis ipsi calamitatibus & rebus aduersis & afflictis luunt. Honoribus exclusi, deliciarum expertes, nudi, siue lecto, sine tecto, perpetuum bellum cum gelu, cū æstu, cum fame deniq; sustinentes: quod est omnium atrocissimū. Nam melius est occisis gladio (ait ille Prophetæ) quā interfectis fame. Orbi deniq; rebus omnibus, quæ homines faciunt in hac vita fœlices. Atq; adeo penè mundo extores, vitam agunt, morte nihil omagis expetendā. ¶ Adde quod quā plurimè pauperes (quod in hominibus est in huma nissimum) ab egestate & mendicitate in huiusmodi crimina præcipitantur. Et idcirco ambabus rationibus sunt in pauperes crudeles auari diuites: & quod præ auaricia & tenacitate admittendis culpis causam dederunt: & quod de admissis rursus occasionem accipiunt, vt auaritiā tenacissimi nutriant. Cum tamen profectò emendandis pauperū perditis moribus salubrius prospectum esset, meliusq; vt resipiscerent, consuluntum, si

Tren. 4.

tum, si collatis beneficiis subsidiisq; temporalibus, eorum animos leniremos, polliceremus, & reduceremus in viā. Nā cum eis alimenta subtrahimus, tunc veluti desperatis & ab omni spe derelictis vitia recrudescunt. ¶ Hæc nō dixerim vt erratis faueam: sed primū, ne antequā opē miseris feramus & misericordiam impartiamur, tam iusti esse in pauperes velimus, vt etiā efficiamur iniurijs. Deinde ne tanta cura & solertia in vagabundis extinguendis, repellendis aduenis, incolis deniq; de vita & moribus exquirēdis, eo tandem euadat, vt eleemosynarū cumulus decrescat. Illud enim iterū atq; iterū admonere nunquā me pigere poterit, q; si his perscrutationibus rariores aut minores fiunt eleemosynæ, multò melius pro bono diuitum fuisset, vt nunquā in mentem venirent. Nā & si multò fierent ampliores, nunquā ad iustū pertingerent. Est enim eleemosyna Christianis invīsus frequētissimos necessaria. Si enim in uidentē vitiorū flammā restringere cupis, sicut ignem ardētem (ait sapiens) extinguit aqua, sic eleemosyna resistit peccatis. Et si admissa iam peccata redimere concupiscis, audi Danielē Eccl. 3. prophetam. Peccata tua eleemosynis redime: & iniquitates Dani. 4. tuas misericordiis pauperū. Quod si minimas etiā peccatorū reliquias eluere prorsus exoptas, quid iubeat Christus, auscultat. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Si Luce. 11. mundus iam factus itinerariū huiusvitæ cibū atq; penus omnne præparare est animus, sapiens rursus ait in Ecclesiastico, Eccl. 17. quod eleemosyna viri quasi sacculus est cū ipso: & gratiā hominis quasi pupillā conseruabit. Si thesauros tuos aues, à tinea & ærugine & prædonibus seruare, pauperum fidei committe. Nam de eleemosynis, Christus loquebatur, quādo aiebat. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo Matt. 6. & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesau rizate autem vobis thesauros in cœlo: vbi neq; tinea neque ærugo demolitur, neque fures, effodiunt & furantur. At qui di uitibus huius sæculi quibus (difficultatis explicandæ gratia) impossibile ait esse intrare in regnum cœlorum, vti camelum per foramen acus, hoc vnum remedium reliquit, si facerent si bi amicos de māmona iniquitatis, quieos reciperent in æterna tabernacula. Quam ob rem Paulus Timotheum instruit, vt diuitibus huius sæculi præcipiat facile tribuere. Nam qui D diuites

diuites fieri esse volunt incident in tentationem & in laqueum Diaboli. Quid plura? Si non solum in æterna tabernacula recipi, sed gloria illius æternæ audifissimus inter principes illic & perfectissimos esse (vt deberemus omnes) affectas, nullam tibi alias Christus monstrauit viam, nisi vt venditis omnibus quæ habes, & in usus pauperum distributum, eum, ipse sequaris. Et hæc satis superque de inquisitionibus, discussionibus, & perscrutationibus quæ in pauperes primo, tertio & quarto articulis annotatur, dicta sint. Nam secundū & quintū in priori parte deliberationis huius expediimus.

De ratione hostiatim postulandi. Cap. 11.

FO tandem instituti nostri peruentum est, vbi eum articulum, in quem ex his, qui circumferuntur propensius incumbitur, pertractemus. Qui est utrum æquum bonumque sit: & (vt paulinis verbis ut tamur) expediens atque ædificans, pauperes ianuis Christianorum arcere, & hospitalibus alere, quam permittere, vt suas ipsi ærūnas & calamitates Christianis oculis coram obiiciant. Id quod re vera (nifallor) nō tam est extra controversiam, quam autores horum articulorum existimant. Atqui vt summum ius ab æquitate & misericordia discernamus, prima huius articuli fuerit conclusio. Princeps, penes quem potestas est rei publicæ, ius authoritatemque habet prohibendi mendicos, ne postulent hostiatim: dummodo victimum eis vestitumque ac reliqua pro suo statu necessaria alia via & ratione congruenter prouideat. At non alias neque alio modo. Neque est qui huic possit conclusioni probabiliter reclamare. Sanè quæ sit eidētior, quam, vt multis testibus indigeat. Princeps namque, cum (vt est. ij. Ethico-

Aristo. 2. rum apud Aristo.) in hoc naturali lege atq; diuina rei publicæ præfectus sit, vt bonos faciat ciues, eatenus quicquam potest edicto præcipere, quatenus opus virtutis est: eaque subinde inhibere, quæ vitia sunt & peccata. At egenis, quandiu egent, nullum peccatum est stipem hostiatim querere: quāprimum autem necessaria illis suppetunt, non possunt, citra culpam, prætextu paupertatis aliena petere. Quando ergo illis princeps, aut

ceps, aut res publica necessaria ministrauerit, inhibere potest ne hostiatim postulēt: aliter verò minimè. Neq; id solum certo crediderim, vt ea sit authoritas in principe: verum si cōmodè hoc fieri posset, vt abundē res publica pauperibus prouideret ne hostiatim opida circunire cogerentur, hac equidē ratione, & veritas euangelica, & Christi charitas, cuius nos vnius capitatis membra sumus, splendidiūs multò in Christiana republika colluceret. Nam quomodo legē qua proximos, vt seipso diligere iubentur, more illi precor exhibeant, inter quos alij bonorum sunt omnium copiis redundantes ac superfluentes, alij verò per extremum in summa egestate & mendicitate constituti Philosophi cuiusdam ex naturalibus celebratur sententia. Qua, cum ditissimus homo pauperrimi se alterius amicissimum prædicaret, respondisse fertur, inter ditissimū hominem & mendicum non esse credibile ullam amicitiam intercedere. Id quod diuinus noster Apostolus, cuius paulò antememini, illis verbis expressit, quibus ait. Si quis habens, substantiam huius mundi &c. Hanc equidem amicitię legem multò antequā in euangelio, in mentibus mortalium Deus inscriperat. Quā nimirum solēni illo proverbio expressit gētilitas. Amicorum omnia sunt cōmunia: & amicus, alter ego. Cuius autorē sunt qui Pythagoram faciant. Vnde. Socrates colligebat proborum hominū omnia esse, vt pote quod sint cuncta deorum: quibus sunt viri boni amici. Hanc ipsam legem Apostoli diuinorum interpretes, legisq; euangelice (que naturaliū omnium consumatio est) promulgatores (Hierosolymis saltem & circum adiacenti prouinciae iudeæ) veluti baptismatis primitiis, prædicauerunt, atque persuaserunt: vt actis eorum est, videlicet vt quotquot Christo in baptimate dedissent nomina, bona sua vendentes, ante pedes Apostolorum pretia proicerent. Quæ illi singulis, prout vnicuique opus erat, distribuebant. Quamobrem (inquit historia) non erat egens quisquam inter illos. Adeo sub id temporis (quātulum fuit cunque) sancta fuit atque solennis obseruantia hæc, vt neotericus quidam Christianus Ananias nomine: qui conscientia vxore Pretij quo substantiam vēdedit celavit, ita fuit acerbè de hac auaritia à Petro reprehēsus, vt præ terrorē exanimatus corruerit. Atq; adeo instituti huius exemplo coeno-

Amicoru
oia sunt
cōia.

Actu. 4.

D 2 bia

bia postmodum religiosorum constructa sunt. Quibus in cōmuni viuentes, charitatem illam Christianorum vtcunq; refērunt. Atqui vt in actis eisdem apostolorum habetur, negocio huic ministrandi mensis viduarum & orphanorum, aliorūq; id genus pauperum prælati sunt septem illi viri probatæ vitæ: quorum fuit Stephanus Primicerius. Hæc in testimoniu huīus dixerim, quod si abundè prouideri posset pauperibus, ita vt certa lege in tutò haberent necessaria, nihil aliud quam cha
Cōclu. 2. ritas esset Christiana. ¶ Secundam nihilominus conclusionē superiori subiicio. Non est possibile, rebus vt nunc se habenti bus ita prouideri pauperibus, vt lege in vniuersum, ne hostiam mendicent, inhiberi possint. Possibile id dixerim quod & theologi morale vocant, & Arist. primo de cœlo illud cēset, quod bene fieri potest. Ad persuadendam hanc conclusionē duo triave fundamenta sternere opus est. Primū est. Modus atq; terminus eleemosynarum non est præcepto, aut lege præscriptus. Quod est dicere. Neque taxatum est quotam bonorum partem homines teneantur in eleemosynas elargiri: vt puta decimam, aut vigesimam. Neque diffinitus est numerus pauperum, quos certi homines, aut res publica atere tenet. Neq; præscriptum est quibus necessitatibus debeamus opitulari. Sed solūm admoniti sumus, pauperes nos semper habitueros. Et vehementissime a Christo seruatore nostro & pollicitationibus allecti sumus, & comminationibus perterriti, vt proximos sicut nos ipsos diligentes, neminem neesse habere repræfacultate nostra sinamus. ¶ Secundum id sit fundamen
Fundamētum. 2. tum, cuius supra meminimus, videlicet, quod præter dotes hospitalium, & si qui sunt alij prouentus, aut thesauri pauperibus decreti, qui sint velut eorum propria bona, non possunt homines lege obligari ad eleemosynas præter eam quæ est in euangelio: sed (vt vsus modo habet) integrum liberumq; est cuicunq; quam voluerit eleemosynam subscribere. Adiicio, homines esse, etiam in Christianismo, tenacissimos: qui nulla, quantum vis magna, improbitate ad eleemosynas flecti possunt. Quin vero rarissimi sunt, qui, & pro sua facultate, & pro miserorum inopia iuxta veritatem euangelicam eleemosynas faciant. ¶ Tertiū subiecerim fundamētū, quod apprime velle eos cōsiderare, quotquot mēdicos occludere moluntur.

Nempe

Nempe quod quicunq; iure postulandi mēdicos priuauerit, aut quo priuentur, in causa fuerit, debitor proinde fit eorum leuandæ miseriæ ac necessitatibus subueniendi: eis saltē, quibus moraliter (vt aiunt loquendo, verissimile est potuisse illos postulando prouidere. Vt si faciamus exēpli gratia centum, aut mille in vrbe legitimos pauperes esse, quorū necessitatibus prouideri satis minoris nequit quā ducentis aureis: quos verisimile est, si hostiatim mēdicare permitterentur, posse eos conficere. Intelligo sic tunc fundamentum hoc, quod quāuis nemo tunc postulare permisis ex iustitia teneretur, sed esset misericordia subuenire, tamē postulare prohibitis tenetur res publica: aut ille qui postulare prohibuit ex iustitia ad totos bis centum ducatos. Res certe est compertissima. Nam illi tūc habent ius petendi, & quicunq; hominē iure suo pellit, teneatur de dāno, secundum illud. Qui causam dāni dat, damnum dedisse videtur. ¶ His ceu fundamentis subiectis, probatur cōclusio secunda. Antequā mendici lege postulare interdicātur necessarium est ita omnibus eorum necessitatibus prouidere (iuxta tenorē tertij fundamenti) vt de iustitia illis necessaria debeantur: non autē prouidentia hæc moraliter (quod aiunt) est possibilis: non ergo eosfas est, ne postulent, vetare. Quod autem non sit possibile, vt inclusis illis ad iustū prouideatur, certè primū ac secūdū fundamentū satis ostēdunt. Nā si neq; pauperes, neq; ea quibus indigent sub certo villo numero, aut modo cōprehenduntur (cū tam indigenæ quā aduenæ, vt præfati sumus, ius habeant postulandi) & ciues cogi ad eleemosynas non possunt, quomodo res publica debitū (cuius mēdicationem prohibēdo rea facta est) soluere quæso poterit? ¶ Id præsertim q̄ inter pauperū necessitates non tātum est victus, sed vestitus, lectus, & (si pauper familiā habet) penus reliquū, & supelleētilis domus. Et quādo mendicare permitterētur cōtra extremā aut fortē grauē necessitatē nullus teneretur mēdicariā impartiiri. Cū verò prohibeātur, id quod erat misericordia, iustitia factū est. Nā qui iure suo vt paulo ante dicebā pauperē expoliat debitor omniū efficitur, quæ posset pauper mēdicādo acquirere & cōficere. ¶ Secunda ratio est, q̄ demēsa seu portiones illę quæ inclusis pauperibus distribuuntur, intelligere nequeo quā ratione & mēsura fieri possint cōmodē.

D 3 Nam

Nam sunt inter pauperes, quorum vni pro cōplexione sua, & calore stomachi non sufficiūt trium aliorū portiones: quod si æquales omnibus sportulæ distribuantur, necesse est illū perpetuam cū fame pugnam habere. Qui tamē ius habebat postulandi quoadusq; extinguere posset famē. Quis enim fuerit qui vel mācipij famē pane saltē non explicuerit, qui nō merito Ratio. 3. suo inhumanitatis & feritatis redargueretur. ¶ Ratio tertia quāuis in hac deliberatione primum non habeat locum, nec tamen est in postremo. Postquā ratio huiusmodi eleemosynarum in vsu esse cepit, experiētia compertum est, q; ratæ portiones & sportulæ quæ pauperibus distribuuntur, vix suppetunt, vt homo qui modo stomacho non sit languenti panis habeat saturitatem: aut fortè si olera aut legumina, vel deimus si fortè in hebdomada frustulū carnium emere possit. At qui nonne satis est, si hoc inter diuites pauperesq; differat, q; diuites habeāt vnde alilibus preciosis ali, lasciuireq; possint: pauperes verò minime: nisi iniquissimam insuper conditionē miserandis adiecerimus, quibus libertatem etiam auferamus, ne possint vñquā animum rebus aduersis afflictū cibis recreare, quos humano generi Deus & natura indulxit. Pauper inquā quāuis quotidiano viētu, parco quidē viliq; vtatur, hac saltem libertate recreatur, quod potest aliquando in domū incidere, vbi benignus homo ad mēsam sedet: quis cutellam fortè porrigit, fructus, vinum, aut id genus delicatū aliquid: quod sollet sēpe mācipiis indulgeri. Faceo frequētissima cōuiuia sor didissimè splendida: quorum reliquiæ postquā familiam expluere, mancipiis exponūtur, aut fortè proiiciūtur canibus. Cur precor huiusmodi domus pauperibus nō pandantur? Nā si quibusdā grammaticis fides est, inde verbū, pando, notionē traxit, q; etiā in gētilitate quibus Christus eleemosynas nunquā prædicauerat, peractis cōuiuiis portæ aperiebātur, vt egenis panis daretur. Aut quia Cereris tēplum apertum semper egenis patebat quibus panis dabatur. ¶ Ad hēc iudicū pauperū, quo de eorū agitur vita, ad paucorū potentia redigere, nō est sanè adeo tutum. Nam vt sint isti duo aut tres qui negotio pauperū deputantur & preferūtur, homines probi, optimæq; existimationis, possunt alij cōtingere qui aliqua forte de causa odio habent pauperē, aut falso testimonio decepti (quæ vt supra

supra dicebamus, frequētissima sunt in vicinia pauperū) pronunciat, pauperē non habere legitimā causam mendicandi, quid ille tunc miser faciet? Quo circa in illis constitutionibus Hipri in Flandria hoc certè bene cautū est, vt possint mendici in auribus cuiuscūq; procerū ciuitatis miserias suas & calamitates exponere, ne qui à paucis condēnati sunt, omni remedio destituantur. ¶ Sed & hoc præterea plenè ex his articulis capere non possum. Admittunt posse aduenam & peregrinū verum pauperē aduentare, quem saltem in triduum hospitio donant. Audi maxime Princeps quantū ei negotiū faceſunt antequā fruſtrum panis accipiat. Fac vrbē intrare infirmum, aut claudū, aut de itinere languentem, opus tamen habet per contari, vbi nā prælatus pauperū cōmoretur, domum viciatim oberrando quæritatē. Vt autē inuenierit, forsan non est domi, aut dormit, expectare oportet. Tum autē vbi hominis copia facta fuerit, respondere oportet vnde eveniat, & quo vadat. Et tandem nihil aliud quā symbolū accipit: & tunc ad quæstorem seu ærarium, penes quē reconditū pecunia, redire oportet. Et ita integrum diem absumere, antequā famem miser sedare & laſitudinē ponereliceat. Ita audio in aliquibus ciuitatis bus sancitum esse: nescio an alibi melius fuerit peregrinis consulum. Deberet enim Xenodochium (quod est hospitium dominus) expositum esse peregrinis. Imò deberent esse in portis ciuitatis, qui eos recta in hospitium perducerent. ¶ Collige re ergo mihi videor quod quemadmodū cap. iiiij. dicebam, ferme non esse possibile talibus legibus abūdē prouidere incolis pauperibus, vt nulla necessitas, atq; adeo neq; ius vllū eis reliquum sit ex patria alio mendicatum exire, ita neque possibile videtur talibus eis legibus congruenter satis prospicere & succurrere, vt nullum eis ius amplius relinquatur hostiatim mendicandi. ¶ Tametsi hic nihil aliud fortè, quā quod ex lege est, enunciarem, si affererem quod potest pauper mendicādo aliquantulum pecuniæ cōfiscere, qua posset statum suo ordine & gradu mutare. De hoc enim miseri insimulantur, ac cerrimeq; reprehēduntur, quod aurum vestibus insutum celant. Mitto, quod alij iustum succulum ære alieno complent. Mitto q; sint qui ære alieno splendide viuunt: pauperes verò genium (vt ait ille) fraudantes ac demenso suo cōparcētes, pa-

ne forte & oleribus sustentantur, vt possint pecuniam aliquā reseruare: si forte in aliquam infirmitatem, aut maiorem calamitatem inciderint. Cui ego causam aliam adiungere audeo. Nempe q̄ quemadmodum licitis aliis artibus & cōtractibus ius est cuicunq; statum & ordinem in melius mutare, ita pauper posset ex eleemosynis, tantillum pecuniæ cumulum congerere, quo aut se honestius induat & exornet, vt possit alicui ingenuo & nobili seruire, aut quo valeat ferramenta suæ artis & officinam apparare: aut forte mercimonium aliquod tenuer, aut negociationem extruere, vnde viuat. Quo tamen iure excluduntur inclusi. ¶ Præterquam, quod neq; hospitalia vbique vniuersis recipiendis pauperibus abundant, neque possunt nō multo maiori ociositate & accidia confici clausi, quam si mēdicatum exire dimitterentur. ¶ At rationibus huiusmodi tantisper intermissionis, ad clauum reuertamur, quē in hac re manumittere nunquam decet. Hoc inquam potissimum animaduertere est operę premium, vtrum hac ratione eleemosynarum cumulus augeatur, an verò decrescat. Et quando nullum aliud esset, aut argumentum, aut testimonium, q̄ necessarium sit decrescere & diminui, quam quod autores huius institutionis in publico cōfidentur, res manifestè comprobatur. Hoc enim cum primis institutionem hanc cōmendant, sibiq; persuadent, q̄ hac ratione (aiunt) multo minori opus est eleemosynarum copia. Id profectò quod experientia ipsa aperte docet. Audio enim ex aliis ciuitatibus, in hac verò oculis conspicio, & ore ipsorum qui hoc pauperum negotium gerūt ad me sēpe delatū est, quod totus eleemosynarum assis vix triēs, aut quadrans illius est, qui ante huiusmodi statuta esse cōsue uerat. Hoc veruntamen ipso Achille, quem ab eis pugnare isti putant, qui rem aliter considerant conuincuntur, vt hāc eleemosynarum rationem repellant. Et enim si legitimi pauperes plures forte non essent, neq; eorū ærumnæ & necessitates, maiores, quam eleemosynarum æs, quod hac ratione conflatur, fateor homines quantumcunq; diuites amplius non teneri. At cum veri pauperes fictis & simulatis depulsis, eorūq; inopie & calamitates multò sint maiores quam quibus stipendijs ipsa eleemosynarum quæ hac ratione conficitur sufficiat: atque adeo diuites (illi maxime si qui sunt auari & tenaces) ad am-

pliores

pliores eleemosynas lege euangelica compellantur, in damno potius diuitum ponendum est, q̄ validi mendicātes, qui fraude & improbitate eleemosynas extorquebant, expellantur, nisi quantum illis adimitur, integrum in legitimos pauperes conferatur. ¶ Quod autē necessarium sit eleemosynas hac ratione rariores fieri & extenuari, præter experientiam, ratiōes quoq; in comperto sunt. Primū q̄ mendici pro se postulent, aut pro mendicis alij, tantum differt, quam maxime differre potest. Diuites. n. quanta fintcūq; misericordia, honoris gratia, pro pauperibus postulantes, quia prandium domi appāratum habent, satis se officio fecisse putant, si eleemosynas petant: & duos aut tres vicos circūeant: an vero petentes obtineant, non tanti faciunt. Mendicus verò miserrimus, cui sola mendicatione prandium agitur, non satis habet petere: sed im probissimè efflagitare, quoadusq; etiam ex durissimo corde obolū exprimat. Nec satis habet vna hora discurrere, dū totus ei dies ad cōparandū viētū opus fuerit. Putas ne princeps clementissime non hac etiā de causa (præterquā quod discipulos orare docebat) Christus pauperum prouidentissimus similitudinem illam euangelicā introduxit. vbi homo ille amicum suū media nocte adiuit, qui tres ei panes accōmodaret. Et amicus qui hostium clauerat & cum pueris lecto iacebat, ægrè & molestè ferebat surgere, vt amico morē gereret. Nihilominus ait magister noster q̄ ille hostium pulsando perseverans efficerere potuit, vt amicus, si non propter amicitiam, saltē propter petētis improbitatē ē lecto surgens officiū exhiberet. Re vera si aliis ad subleuandam necessitatē alienā petitum iret panem, non tam improbē institisset, vt misericordiā consequeretur. ¶ Mox secunda huius ratio est, q̄ quemadmodū in malis & turpibus euitandis, ita & in bonis & officiis vsu accidere solet. Nam materię obiectiō; præsentia, aut virtutis, aut vitij præ grādem habet energiam mouendi alliciēdiō; ad opus. Quam ob rem magnis supra modū refert, vtrum diues homo, sanus, nitida facie, veste splendida, te adeat misericordiā petitum, an pauperē videas, facie pallidū, veste sordida, vulnera forte circū ferentē, supplicē per Christi matrem, perq; eius vulnera obserantē. Nemo sanè est q̄ nō lōgo vsu fuerit expertus, q̄ sapissime cum domo exiēs nullā in animo haberet eleemosynā face re, pau

Ratio. 2.

re, pauperis tamē conspectu in meliorē fuerit mentem mutatus. Vnde & inter oratoris præcepta, sunt qui cōmoneant, vt si fieri commodè possit, ille qui iniuriā perpessus est, oculis iudicis obiciatur: qui vulnera ostentans, eius animū commouere possit. Fateor nō nullas esse horum pauperum fraudes: sed, præterquam quod multo sunt plures veræ infirmitates & calamitates, si vlla vñquā fraus pietatis nomē meretur, hæ sunt, quæ piæ fraudes meritò cēsentur. Hinc inter alias, bona causa colligitur cur episcopi præsentia suæ esset ecclesiæ utilis & necessaria. Nā qui de auditu cōmouetur vt eleemosynas aliquas pauperibus suis mittat, propriis oculis ærūnas pauperū resq; aduersas intuitus, longè plures supererogare conuineeretur.

Religiosi mendici. Quantū valeat vt ipse qui indiget subsidiū exposcat, profecto in religiosis mendicantiū, qui (vt antea dicebam) imaginē gerunt illius cōmunis vitæ naſcentis ecclesiæ, exempli gratia cōmonstrari potest. Vbi n. conuentus mēdicitate viuūt vnum tantū religiosus, cui negotium demādatur, abundè colligit (& quidem iustè & religiose) penus omne quod pro frugalitate vel tenuitate religiosorū abundant. Sanè quia sui ipse conuētus rem procurat. Quod si decem diligentissimis ac pientissimis cura hæc delegaretur, vix possent, vel panem abundè comparare, qui conuentui sufficeret. Quo circa religiosi mendicantes mendicātibus pauperibus suppecias ire tenemur. Auget præterea huius argumenti vires Hispanorum conditio & ingenium. Sunt enim inter mortales, qui facilius multò prece & supplicum miseria flectuntur, quam lege coērceantur. Et ideo ex qua ciuitate mendici precibus & obsecrationibus centum mendicare possent, vix, si ciues ad perpetuas eleemosynas cōscribantur, quadraginta in album referuntur. Nam perinde ac si tributa essent, formidant in eleemosynas nomina dare. Si id quod in aliis locis vsu accidere potest ex hac ciuitate cōiicere li et, quæ (vt citra notam alius cuiusq; dixerim) est in pauperes benignissima, dimidio & eo multo minores eleemosynæ in albo pauperum consignatæ sunt, quam devna ciuitate, vbi amplissimæ alias siebant, vel suspicari ullus poterat. Atqui de illa conscripta summa ante tres mēses bona pars subducta est. Quanta verò iam nunc restat, nescio. Ob idque ut viam iam hinc quæ ad obiectiones respondeam communire incipiam,

Hispanorum inge-

nūq;.

incipiā, quod in aliis regiōibus, vbi homines populares magis sunt, atq; ciuiles, & q̄ lege in bonū cōmune facilius cōtinētur: q̄ illic (inq) de hac eleemosynarū rōne constitutū fuerit, nemo adeo pōt in exēplū Hispanis ad imitādū pponere. Quod autē pecunię in arculis erariis, q̄ in tēplis exponūtur, cōgeritur, sup pudet dicere q̄ sit exiguū, omniq; æstimatiōe minus. Illi enim ipsi qui occurrētibus mēdici libēter liberaliterq; misericordiā effandebant, cū obuios pauperes nō habēt, nō solum mittere eleemosynas ad arculas obliuiscūtur, sed qn tēplū ingrediunt, quod petēti viuo pauperi porrigerēt, inuto lapidi aut ligno, nō ita animātur cōferre. Qua de re adeo sine diutiis sunt eraria illa, vt nullū eis minus nomē, q̄ gazophilatijs cōueniat. Ad hēc illi qui albo eleemosynarū ascribuntur solū sunt patresfamilias. Dū verò mēdici discurrūt, si nō dat maritus, erogat for tē vxor: q̄ est in pauperes propēsior. Si nō pater, cōfert tamen filius. Quod si forsitan non tribuit herus, famulus la gitur. Atqui (qđ p̄cipui momēti est in hac re argumētū) eleemosynæ nō tantū ex pecunia fieri sunt solitē: sed ex oī supellecili domus. Reperias em̄ qui in largiēda pecunia sunt parcissimi, boni tñ consulunt, si cōiux panē porrigit, aut mēsae reliquias, obsoletā vestē, subuculā lintheā, protriū calceū, lignorū fasciculū: quę omnia profecto si cumulo eleemosynarū eximas (vt est hac rōne necessariū) nescio an dimidiū excipias. Sed p̄ter decrementū atq; detrimētū eleemosynarū, q̄ institutū hoc arcēdi pauperes manifestē cōsequūtur, alia via rē aggredi possumus. Misericordiē rō nō in hoc tñ posita est, vt miseris opē & auxiliū quisq; ferat: sed in hoc præterea, quinimò in hoc pri mū, vt animus intus calamitatis pauperis misertus, cōpatiatur misero, & qn ad opus facultas nō suppetit, affectus hic in meritis ponitur apud deū. Id qđ in Christo contēplari possumus. Qui anteq; turbē illius in eremo, extinctę fame, lassitudinē recrearet, legimus apud Math. & Marc. q̄ misertus est turbæ q̄ triduo sustinebat illū. Ex quo diuino affectu opus foras p̄cessit. Qui ergo pauperes oculis Christianorū eripiūt, pingue (qđ aiunt) lactis optimū inq, q̄ est in virtute hac præstatiissima misericordiē tollūt. Nā velutifortes & strenui hoīes esse non pñt, nisi q̄ conspectu armatorū hostiū ſēpe fuerint irritati, ita neq; misericordes, nisi qui erūnas calamitatesq; & res aduersas & afflictas pauperū corā viderit, & cōtractauerint. Quā ob rē, vt

Arcule eraria.

Eleemosynæ ex omni supellecili.

Misericordia ratione.

sunt quibus pauperum aspectus naufragia mouet, & clamor aures obtundit, sunt nihilominus alij (quibus in hac parte mos potius gerendus esset) qui conspectis ærūnis pauperum, cor ad misericordiam emoliunt, & quas de sanguinis nobilitate deque honoribus & fortunis cristas erigunt, ea tunc ratione summittunt, q̄ homines sui generis vident tā dissimili sorte & fortuna abieccos: quibus & in hac vita similes ipsi paresq; esse poterant, & in illa æterna felicitate longè inferiores esse poterunt. At in præcipuis solennitatibus & in sancta potissimum hebdomada, quis ambigat conspectu pauperum & clamore, Christianorū animos ad cōmiserationē valde commoueri? ad sensumq; passionis Christi percipiendū excitari? Videre profectò videbar anno proximè elapso subtristes homines, dicentes poenitentiam hebdomadam perinde sine pauperum clamore obmutescere, ac si festum esset sine musica celebratū. ¶ Et (quod non est in postremis habendum) quāti rogo inter est maximè Princeps quomodo iuuentus in ipsa statim prima educatione ad misericordiam erudiatur: illius imitatione sanctissimi Iob, qui has omnium virtutum radices subiecit, quod ab infantia secum crevit miseratio. Aut quomodo potest puer hac sanctissima virtute imbui, qui non sensu calamitates viderit vel audiuerit? Hi qui modo pauperum eleemosynas diligenter procurant, quia pauperum miseras oculis conspexere, misericordes esse & clementes in pauperes possunt. Sed fac instituta hæc integrum sæculum durare, vt qui modo nascuntur nunquam in limine domus mendicos videant, neq; inclusos visitent. Quo nam pectorē huiusmodi homines in pauperes esse possunt? ¶ Sed neque hac tantum de causa religio est pauperibus in præsentia auxilia & subsidia ministrare: sed certè in honore & obsequium Christi. Vnde super illud Pauli Th. v. vbi nos ad misericordiæ opera instruens exhortatur, vt sanctorum pedes lauemus, tribulationem patiētibus subministremus, adnotat Homelia. xiiij. Chrisost. quod opera misericordiæ præcipuo studio, & tota animi voluntate, summaq; alacritate ac deuotione (tanquam reuera ipsi Christo) pauperibus debemus in suis propriis personis exhibere. Neque enim (inquit officia in pauperes debemus seruis, aut ancillis imperare: sed per nos ipsi debemus pauperibus im-

pendere.

Jacob. 5. Tbi. 5. Chriſof. Hom. 14.

pendere. Verbum illud Christi auscultantes. Si ego laui pedes vestros dominus & magister (ac si dixisset, nec cuiquā humile officium permisi) & vos debetis alter alterius lauare pedes. Et addit Chrysosto. quod quando quis fuerit summa dignitate constitutus, ac præcipui generis gloria fulgeat, non tantū pauperes superat, quantū discipulos. Christus. Quando autē pauperi ministras, Christo ministras. Nam qui suscepit (inquit) vnum parvulum nomine meo, me suscipit. Et quandiu fecistis vni de istis minimis, mihi fecistis. Hactenus Chrysost. Vnde metuendū nobis esset, ne quando se Christus in postrema die apud nos mendicū degisse confitebitur, in properio nobis obiiciat, q̄ pauperes à nostro nos prospectu abiecerimus. Vnde vix legimus, non solum sanctos fuisse prælatos ecclesiæ, verū neq; sanctos fuisse illustrissimos homines, de quibus non sit memoriarē proditū q̄ per se ipsi pauperibus cibos ministrauerint: imo & vulnera propriis manibus cōrectauerint. Ut alios interim obmittam Cæsaris filios, augustam refēram. Flacilla illa augusta Theodosij cōiux sanctissima de hoc cum primis lib. vij. tripartitæ historiæ honoribus cumulatur, quod cum esset in regnifastigiis, maximā sub purpura clavorum atque debilium curam habebat. Non seruis, non aliis ministris vtens, sed per se ipsa agens, & ad eorum habitacula veniens, vnicuiq; quod opus haberet, præbebat. Sicetiam per ecclesiarum Xenodochia discurrens suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorū tergens, ius gustans, offerens coclearia, panē frangens, cibosq; ministrans, calices ablues, & alia cūcta faciens, quæ seruis & ancillis mos est solēniter operari. Erat n. illi Christianorū antiquitati perpetuo in auribus verbum illud extremē diei, qua se Christus nudū & hospitem fuisse affirmauit, & inter nos esuriem & sitim perpeſsum, vt perinde pauperes, ac si Christus singuli essent, susciperent, obsequiis colerēt, eorūq; se conspectu oblectarent. ¶ Hæc in gratiam eorū percensuimus, qui animo sunt in pauperes clementi, quorū perinde absentiam nō possunt non egrē ferre. Sed & propter eos inhumanos homines, qui præ auaricia faxea pectora erga pauperes habētes, aures eorū precibus obturauerūt, cōmodū est etiam eorum conspectui mendicos obiicere. Audio nanq; quosdā (Christianos quidē ac pios homines) ad causas huius instituti

Flacilla
augusta.

instituti occludendi pauperes hanc etiā adhibere, quod si ex gētibus quispiam & paganis homines inter nos videret in extrema egestate mendicare, crudelitatis nos & immanitatis redargueret, essetq; illi lex nostra improperio. At verò si abditos reconditosq; & exire prohibitos esse consiperet, neq; tamē à nobis lautius alitos, ac sumptuosius tractatos, quā hac eleemosynarum ratiōe esse possunt, fortasse peius apud eum audiremus. Sed aliorum proprio. Fieri nequit aliter, quomodo in republica, etiā Christianorum, homines sint inclemens & in pauperes crudi: versentur ergo in eorū presentia mendici, qui si non eos ad misericordiā vincere potuerint, iniustitiae saltē in die iudicij reuincant. Nunquid non hoc Christus edocet in diuite illo epulone, qui inducitur purpura & bisso & epulabatur quotidie splendide. Neq; enim de hoc tantum in inferno cruciabatur, quod eleemosynam absentem mendico non impenderat, sed qd cum Lazarus ad ianuā eius iaceret, viceribus plenus, cupiēs saturari de micis quae caderbāt de mēsa diuitis, neutquam diuite pauperis miserebat. Vide quāta cōgerit & exagerat Christus, quibus pudore & innominiā illius diuitis augeat: sanē qd canes quibus micas diues porrigebat, clementiores erant in pauperem lingentes vlcera, quam diues ipse. Mendicis ergo ad ianuas crudelium diuitum iacentibus Christus testibus opus habet in die iudicij, in confusionem & improperium eorum. ¶ Contra verò ad ianuas prælatorū, ac magnatum, qui benigni sunt et misericordes in pauperes, quā sit pulcherrima pauperū corona? qui refecti & recreati benedictionibus suos benefactores complent, precationibus apud deum commendant. Fuerint inter eos fortè perditū homines erunt: veruntamen nonnulli iusti, qui nos possint iuxta verbum domini, in æterna recipere tabernacula. ¶ Si in regibus & gloriōsis imperatoribus exemplum adhuc Christi perseuerat, vt semel in anno pauperum pedes lauent mensisq; ministrent, cur nō erit laudabile & honorificum quotidie pauperes ad ianuas principum, aliorumq; procerum pauperes epulari. Reuera si sancti illi patres, & ecclesiæ monarchæ, Greg. in quā Amb. & August. audirent mendicis Christi domus principū & episcoporum non patere, nō intus pransum recipi, nihil aliud reputauissent, nihil secius condēnassent, quā si pa-

Luc. 16.

Prelato-
rū ianue.

& epulabatur quotidie splendide. Neq; enim de hoc tantum in inferno cruciabatur, quod eleemosynam absentem mendico non impenderat, sed qd cum Lazarus ad ianuā eius iaceret, viceribus plenus, cupiēs saturari de micis quae caderbāt de mēsa diuitis, neutquam diuite pauperis miserebat. Vide quāta cōgerit & exagerat Christus, quibus pudore & innominiā illius diuitis augeat: sanē qd canes quibus micas diues porrigebat, clementiores erant in pauperem lingentes vlcera, quam diues ipse. Mendicis ergo ad ianuas crudelium diuitum iacentibus Christus testibus opus habet in die iudicij, in confusionem & improperium eorum. ¶ Contra verò ad ianuas prælatorū, ac magnatum, qui benigni sunt et misericordes in pauperes, quā sit pulcherrima pauperū corona? qui refecti & recreati benedictionibus suos benefactores complent, precationibus apud deum commendant. Fuerint inter eos fortè perditū homines erunt: veruntamen nonnulli iusti, qui nos possint iuxta verbum domini, in æterna recipere tabernacula. ¶ Si in regibus & gloriōsis imperatoribus exemplum adhuc Christi perseuerat, vt semel in anno pauperum pedes lauent mensisq; ministrent, cur nō erit laudabile & honorificum quotidie pauperes ad ianuas principum, aliorumq; procerum pauperes epulari. Reuera si sancti illi patres, & ecclesiæ monarchæ, Greg. in quā Amb. & August. audirent mendicis Christi domus principū & episcoporum non patere, nō intus pransum recipi, nihil aliud reputauissent, nihil secius condēnassent, quā si pa-

ternis

ternis domibus filios audirent interdictos. De Gregorio legimus, nunquā sine pauperibus & peregrinis ad mensam sedere, domum eius mendicis esse frequentissimam. Qui perinde tā fuit de pauperibus bene meritus, vt angelis sub habitu pauperum eleemosynis sēpe ab eo fuerint donati, & inter conuiuas pauperes ad mensam eius considerint. Sed vt pontifici summo regē quoq; & sanguine & sanctitate clarissimū apponamus: Gallorū inquam regē Ludouicū inter diuos suo iure & merito relatum Blanchæ reginæ Hispanorū regibus genitæ filius, adduci nullo modo possum, vt credam, qd hæc ille mendicantium claustra aut iusisset vñquam, aut certè probafset. Legitur. n. à matre sanctissima ita fuisse educatum, vt pluri bus ducentis pauperibus, qui in domo regia quotidie abūdē reficiebantur, in diebus soleannibus antequam ipse commedēret manu propria fercula ministraret: atque singulis sabbatis eorum pedes propriis manibus ablueret, detergeret, & oscula retur: quos deinde auēta eleemosyna donabat. ¶ Quare exco- gitare nequeo, quomodo institutū hoc quo pauperes mendi- care vetantur (vt eius autores prætendent) de antiquitate cōmendari possit. Imò verò hoc inter præcipua argumēto concutitur, quod, perinde atq; illud de reiiciendis peregrinis, nouum cōmentum est: neq; gētibus, neq; priscis Christianis vñquā cognitum. Quod si in legibus misericordiæ positū esset, patres iam diu ecclesiæ scriptum nobis dedissent. Hoc autem inter respondendum ad eas causas & rationes, quibus eius au- tores sententiam corroborant, congruentius tractabitur.

*Quo rationes & cause prohibendi pauperes mendicare
perpenduntur. Cap. 12.*



Rimum fundamentum, quo autores clausuræ huius mendicantium sententiam stabilire contendunt, est verbum illud diuinum Deutero. 15. Deut. 15. Omnino indigēs & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi dominus in terra quā datus est tibi in possessionem. Argumentum est quod. S. Tho. 2.2. q. clxxxvij. art. v. diluit, dicens, quod illo præcepto legis nullus prohibetur mendicare: sed prohibetur diuitibus ne tā tenaces sint, vt ppter hoc alij egestate mendicare cogātur. Quod qui-

dem

dem responsum est mente reponendum ad intelligēda quæcunq; alia, aut ecclesiæ statuta, aut sanctorum decreta, quæ de hac re loquantur. Nusquā enim gentiū pauperibus facta est cohibitio, ne mendicent: sed diuitibus præceptum est, ne sua crudelitate pauperes mendicare cogant. Adde quod notio huius nominis, mendicus, non eos præcise comprehendit (vt nonnulli existimant) qui hostiatim obambulant: sed quicunq; propriè dicitur mendicus, qui adeo indiget, vt stipe & eleemosyna quotidiana viuat: tametsi domi eam recipiat. Pauper enim est qui proprium habet vnde ægrè & miserè viuat: mendicus autē qui nihil proprium habet, sed ex alieno viuit. Mendicare nāq; non solū est petere, sed recipere ea quæ vltro offeruntur. Hoc licet non adeò explicatè, insinuet præter. S. Th. loco modo citato Chrisostomus, aut quicūq; ille fuit autor imperfecti, super illud Mathei. capite. v. Beati pauperes spiritu. Græcè enim inquit non habetur, pauperes, sed mendi ci. Verbo ergo illo non solū commonebatur populus vt non essent postulantes mendici, sed neque essent qui domibus inclusi, quotidianis eleemosynis & sportulis indigerent. Quales modo hisce articulis instituuntur. Quare isti non putent illud se præceptum hac ratione abundè complere. Neq; verò illud præceptum erat, vt sub mortali (vt verba iacēt) obligaret. Sed erat exhortatio ad charitatem, quæ in quocunq; populo bene instituto florere deberet. Quam ob rem post exhortationem illam eodem capite subiungitur, quod pauperes nihil minus semper essent inter eos futuri. Quēadmodum in euangelio, quantiscūq; nos Christus verbis misericordiam erudit, & ad eleemosynas animauit, quo nostrā nobis tamen pectoris duritiem prænunciaret, pauperes (inquit) semper habebitis vobiscū. ¶ Asciscitur præterea in exēplū instituti huius, quod similes collectas instituit fieri apud Macedoniam & Rom. 15. Galatiam. Quarum meminit & in epistola ad Romanos & in I. Cor. 16. prima ad Corinthios. At verò collectæ illæ, vt S. Tho. vtrōbique interpretatur, alia longè ratione factæ sunt. Neq; verba Pauli interprete opus habent: adeo res est per se ipsa perspicua. Non enim collectiones illæ eleemosynarum siebant in subsidium & suffragium pauperū eiusdē, in qua siebant, ciuitatis. Sed historia fuit: vt legitur in actis Apostolorum capite. xj.

te. xj. quod Hierosolimam & circumiacentem Iudeam fames validissima perueraserat: & ideo missi sunt Paulus & Barnabas in Macedonia & Achaiam, cum ad prædicandum, tū etiam ad auxilia petenda pro Christianis qui erant Hierosolimis & Iudeæ: iis præsertim qui prædicationi & cultui diuino operam dabant. Et hoc est quod Paulus adumbrat ad Galatas. ij. dicens. Jacobus Cephas & Ioannes manus dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circūcisio nem: tantūm vt pauperum memores essemus: quod etiā solitus fui hoc ipsum facere. Quas quidem collectas Macedones & Galatae per ipsos Apostolos miserunt Hierosolimam. Id quod attestatur Apostolus. Rom. xv. dicens. Hinc igitur proficiscor in Hierusalē ministrare sanctis. Probauerūt enim Macedonia & Achaia collectionē aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis vt debito res sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis. Ecce quomo do collectæ potissimum erant in subsidium sanctorum qui discipuli erant euangelij. Instar deinceps Macedonie persuadet Corinthiis scribens. De collectis autem quæ fiunt in sanctos (eos, scilicet, qui sunt Hierosolimis) sicut ordinaui in ecclesiis Galatię, ita & vos facite. Modum autem subdit Paulus, vt per vnam sabbati (scilicet per diē dominicam) vnuſquisq; vestrū apud se ponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero (scilicet ad importandum Hierosolimam) tunc collectæ fiant. Non ergo eleemosynæ illæ, quo inhiberētur pauperes mendicare colligebantur. Id tamen aliud agens non tacitus præteribo, quod in huius loci interpretatione adnotat Chrisosto. homilia. xljj. nempe quod huius instar de beret Christianus quicunque arcuam domi, eo loco vbi orare solitus est, pauperibus dicare, in quam, perinde atque sacerdos sacrificium oblatus manus prius lauat, ante orationem eleemosynam immitteret, vt sic mundus ad orationem accederet. Nam scriptum est. Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. ¶ Tertium quod in cōfirmationem huius prætexitur est, quod in primitiua ecclesia non erant mendici hostiatim postulantes. Hoc autem in latissimum nos campū dicendi transmittit. Vbi multa sunt reputatione digna. Pri-

E. mūm

mum omnium (vt iam modo dicebam) nihil neque in actis ecclesiæ neque apud quempiam sanctorum patrum legitur, vnde coniectari possimus, libertatem aliquam pauperibus fuisse ademptam exeundi mendicatum quocunque libuisset. Secundo quod tempore Christi saluatoris nostrifuerint pauperes mendicantes, ambigere nemo potest: cū quod turbam illam pauperum, claudorum, cæcorum, aliisq; morbis & languoribus laborantium, quam frequentissimam curauit: coniectura est ex his plurimum fuisse mendicis, qui vivat ob ambulant: tum, quod illud consilium Christi Lucæ. 16.

xiiij. Cum facis prandium aut coenam noli vocare amicos tuos, &c. neq; vicinos diuites: sed voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, planè de mendicantibus intelligendum videtur. Quod ne quis cauilletur, illos in claustris tūc degere, videat quid statim sequitur in parabola illius hominis qui fecit coenam magnam. Qui cum in uitati venire recusarent, exite (inquit seruis) in plateas & vicos ciuitatis, neque id solum, sed in vias & sepes: & pauperes & debiles cæcos claudos introducite huc. Solent enim mendici in huiusmodi locis ciuitatis, & in biuīs viarum sedere. Neq; tempore tunc so-

Augusti. Ium Christi erant mendici: sed Augustinus tum alibi saepe, tū etiam sermone in. ij. dominica aduentus testimonio est. Vbi Christianos largiores prædicans eleemosynas debere, subdit, quod in sanctis solennitatibus secundum vires nostras abundantius erogemus, pauperes ante omnia frequentius ad conuiuum reuocemus. Loquitur profecto de mendicantibus: qui consueuerant in domos diuitum epulatum admitti. Adeo erat mendicitas sæculo illo vsu & more celebris, vt S. Tho. ij. ij. quæstio. clxxxvij. etiam teste multi Christiani religionis & humilitatis causa, venditis possessionibus & in pauperes distributis, ad illum se summiserint abiectissimum ordinem vt legitur de diuo Alexio patricio Romano, & de Arsenio in vitis patrum. Et Hieronymus ad Oceanum de hoc

etiam commendat Fabiolam, quod optabat, diuitiis in pauperes effusis, stipe ipsa pauperum viuere. Neq; profecto qui illud iam modo institutum vitæ susciperet adeo esset expbrandus, vt aliqui existimant. Sed tamen eo tantum huius reminiscor, vt ostendam fuisse semper in ecclesia postulantes mendicos,

mendicos. At non opus est in re non dubia vt testibus non necessariis. Omnia enim historiæ quibus sanctorum patrum gesta memoriae prodita sunt, attestantur semper in ecclesia fuisse mendicos. Neq; mendicantium religiones aliunde non men hoc sibi cum re ipsa vendicarunt. Tertiam hic tamen considerationem adiecerim, quod in primordio ecclesiæ: nē ratio. 3. pe usque ad tempora Gregorij & eo amplius, alia erat lōgeq; diuersa religio, alia Christianorum erga pauperes pectora, alia instituta, alij deniq; in subsidium pauperum decreti prouentus, quam iam modo sunt, vt possent pauperes postulandi molestia reuelari. Affertur ab huiusmodi articulorum authoribus id quod in vita Clemētis papæ legitur: nempe quod singularum inopes regionum nominatim scriptos habebat: & quos baptismi sanctificatione mundauerat, nō sinebat fieri mendicitati subiectos. Similia ferme possunt verba ex gestis Siluestri, Gregorij, Martini, omnium denique patrum illius temporis citare. At quomodo illi pauperes mendicare non sinerent, hoc animaduertat. Non enim eos lege vetabat, prohibebant, arcebant, obstruebant, sed quomodo non sinebant? Nominatim pauperes scriptos habebant, quibus sportulas copiose mittebant, ne vlla illis mendicandi necessitas restaret. Hac sanctissima ratione ius illis mendicandi auferebant. Nisi iura huc accersendovniuersa molestus essem, quā id copiose patefacere possem. Sed q̄ titulū interim de religiosis domibus: & in decretalibus & in clementinis consultauebit, plane intelliget, quanta prælatis cura pauperum fuerit iuncta, quām anxie & solicite sacerdotes illi, vt veri patres, filiorum pauperū res procurabant, administrabant propriisq; sumptibus fouebant. Sed præter peculiares cuiusq; eleemosynas, studium erat hospitalia diuerfis generis vbi cunq; locorum erigere, vt est in C. de sacro san. eccles. l. sancimus: quod Diversa & in iure canonico. xxij. quæstio. viij. cap. tributum, refertur. Hospitalia Erant enim Xenodochia, id est, hospitum pauperum domus liūgna. Orphanotrophia. Quod est orphanorum receptacula Ptochotrophia, vbi inopes & mendici alebantur. Brephotrophia putatædes, quibus infantes nutriebantur Gerontocomia, scilicet vbi senes & debiles sustentabatur. Adeo tūc recentis sanguinis Christi virore ecclesia rigata benignitate & clementia

E 2 in

in pauperes reflorebant, ut nulla potius alia ratione animos hominum conciliaret, contraheretq; ad fidē Christi. Vnde vt lib. 6. Eccl. 6. Ecclesiasticæ historiæ scriptū est, Julianus ille apostata qui ecclesiastæ apertū bellū indixit, hoc paganos summopere exhortabatur, vt Xenodochia & pauperum hospitia extruerent, dor. c. 29. tarent, ditarentq; vt hac clementia Christianis excellētes, paganos in Christianismum properātes possent in paganismo retinere. ¶ Sed quid demum exemplo illius ecclesiæ pauperibus opitulari contendimus, ne postulare indigeant? Quarta tunc pars omnium fructuum & redditū ecclesiæ decreta erat & destinata alendis pauperibus: vt est in decreto Gelasij can. quatuor. xij. q. ij. & in decreto Simplicij can. de reditibus: & in concilio Toletano can. sancimus, ibidem. Et tamen quantumcunq; tunc erat optime pauperibus succursum, nusquam legimus interdictum eis fuisse postulare. Qua ergo ratione in hoc modo sæculo, quando dari nobis optamus charitatem illius gentis, prælatos illius ætatis, sanctiones illius ecclesiæ, prouentus deniq; annuos pauperibus constitutos, qua (inquam) ratione adduci possumus, mendicos ac facultate libertateq; postulandi cohibere? ¶ Colonienses, ad quorum prouincialē cōuentum (quia nec papæ autoritate pollet, nec quicquā præter iura communia de hac re proprie sanciuit) nihil respondeo, aut Hiprenses, aut Germani vlli neutiquam Hispartis in hac re exemplo esse possunt. Nam præterquam, quod (vt ante dicebamus) multo sunt magis politici, æraria publica habent amplissima, vnde iusta subsidia pauperibus decernunt. vt in coloniensibus atq; hiprensis statutis habetur. Id quod de Venetis, Genuensibus, multisq; italis fama est. Nos autem, sola mendicata pecunia, nescio quo possumus modo auxilia mendicis sufficere, vt eos iure mendicare cohibeamus: quantumcunq; sint eleemosynarum leges consultissimæ. ¶ Et, quod omnium hic ego plurimum animo reputo, quilegum huiusmodi atq; ordinationum legitimi sunt latores, promulgatores, & exequutores, non equidē sæculares, sed ecclesiæ prælati sunt, & sacerdotes. Vbi nam rogo paginæ sacræ quo ve forte sanctorum canonum sæculares huic pauperum muneri patroni designantur: aut vbi non ecclesiæ sacerdotes & episcopi huic negotio, veluti pauperum patres, destinentur? Quid ita:

quia

quia sacerdotes voluit Christus vt (eius ait discipulus Paulus) ab sæculari solitudine vacare. Nam qui sine vxore (inquit) est, solicitus est quæ dominis sunt, quomodo placeat deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuisus est. Quorsum hæc? Certe vt connueam, negotium hoc & pauperum curā diu non posse in manibus sæculariam, quanta sintcunq; probitate & prudentia prædicti, perdurare. Non ita deus & ecclesia institutum esse duxit. Sed structuræ huius, quia spiritualis est, episcopi architecti essent, oporteret, populi munus est vt materiam syluamq; subministret. Quoniam sæculares vxores duxerunt, familiam habēt, curis aliis negotiationibusq; & solitudinibus complificantur. Vix se ab illis extricare possunt, vt huiusmodi misericordiæ officiis libere vacare possint. Nisi ex pauperum eleemosynis stipendia ministris statuantur, raros inuenias qui in officio perseverent. Atque ita vsu contingere videmus, vt bona eleemosynarum parte, quæ ministris obuenit, defraudentur pauperes. Sed ais prælati non perinde atq; prædecessores, curam pauperum gerunt. Fateor æquidē: sed sperare non possum vt sæculares, episcoporum vices fungentes, resarciant dāna, satis (inquam) negotio faciant. vt pauperes in claustris perpetuo possint sustineri. Qui modo negotium suscepérūt, quia proceres sunt & præcipui homines, Christianissime instituti, rem poterunt in tempus continuare: cum tamen deinceps alij atq; alij, in hac sint prouincia successuri, prolabi subinde ac sensim cadere necessarium est. ¶ At vero, quo iam ad portum applicans, vela contraham, id quod in vniuersis, quæ homines tentantes adoruntur, maximum habet pondus, experientiam (inquam) in testimonium appello. Trienium ferme iam hæc eleemosynarum ratio vsu & more seruatur. Quis nam inde in effectu fructus prouenerit, hoc tu prouidentissime Princeps fac certo scias. De hoc (quia non in iure, sed quod aiunt in facto positum est) nullam mihi volo haberi fidē. Tametsi quod ego hic & audiendo & videndo experior: ac proinde de aliis locis coniicio, multum huic negotio refragatur. Sed tu hoc, vt es oculatissimus, da operam vt fraude procul intelligas. Primum an in turbis validorum mēdicantium quæ vrbibus magnæ, depulsæ sunt, aliqui forsitan legitimis pauperes promiscue

E 3 excessione

excesserint. Alterum quando nullum viciatim obambulatatem mendicum conspicimus, utrum numerus pauperum in antiquis hospitalibus succreuerit, an vero aucta fuerint alia, quibus illi qui discurrebant receptifuerint. Mox an sint Christiani homines qui querimonias spargant, & non sint iam mendici qui ad eleemosynas extorquendas vim inferant. Nam in hac etiam re solitum erat regnum cælorum vim pati. Deinde an eleemosynæ, quæ ex actis vagabundis ademptæ sunt, incolis postulareq; verecundantibus (is qui præcipius in hac re habendus fuerat finis) integræ obueniant. An vero forsan nihil illi, aut forte paululo melius habeant: sed eleemosynarū summa quæ esse consuecerat, fuerit extenuata. Quod si rem prospere succedere cognoueris. Nempe si eleemosynas nihilo minores, sed maiores multo fieri, si incolarum pauperū miseras, ærūnas, & calamitates, quibus grauiter comprimuntur, aut etis eleemosynis subleuari, curā adhibe, tuamq; Principis auctoritatem interpone, vt horum institutorum ratio procedat. Tunc vero quo Principis animum propendere conspexerimus, inclinabimus omnes. Illi parti applaudemus, suffragabimus, fauebimus. Id vniuersi tutabimur, prædicabimus, adiutabimus. Sin vero rem deteriorari senseris, tunc satis fuerit, si studia illa & instituta eleemosynas conscribendi in auxilium & subsidium pauperum incolarum, qui egestatem domi sustinent, retineamus, commendemus, & vt prosperentur, summa ope nitamur. Nam illa deo esse nō possunt nisi probatissima & acceptissima. Cateris vero mendicis ius relinquatur postulandi. Nam q; aliquis vere pauper publicas, & mendicauerit, poenas luat, absit vt in Christianorum regno sub Christianissimo Principe audiamus. Illius n. prodigiosæ statuæ cuius Daniel mysterium interpretatus est, licet caput aureum esset, & pectus argenteum, pedes vero abiectissimi (nempe partim ferrei, partim fictiles) tamē comminutis pedibus, corpus subinde ipsum ex præciosis metalis corruit. Quid si ordo hic abiectissimus pauperum, eleemosynarum meritis sublimiores reipublicæ ordines sustentat. Quo de medio sublato, totum pericitetur corpus. At vereor, ne te iā prolixæ orationis tēde-reincipiat. Nā nescio quo impetus melongius quam institueram, surripuerit. Tamē si quando nihil aliud quale obsequium

sequium hoc meum præstiterit, sunt tamē hic nonnulla, quæ te legisse non poenitebit ad præstantissimam hanc præclarissimamq; misericordiæ virtutem comparandam. Et enim qui in tantam regnorum spem diuino numine & misericordia hac luce donatus es, quanta neminem secundum patrem, aut forte perquam rarissimos, vñquam natura produxit, quibus nā aliis quam misericordiæ potes officiis amplissima beneficia rependere? Nam & si velut in throno dei, ita & in Principis folio ambas confedere deceat, iustitiam & misericordiam: haec tamen, perinde atq; in deo, maiori in rege splendore fulget. Sed vtraq; faxit deus, efficias, vt qualem te inter mortales merito tenere gaudemus, tali etiā esse loco inter diuos perpetuo videntes gratulemur.

Vale.

Salmanticæ,

In officina Andreæ à Portonariis.

I 554.

E 4

